EPITOME
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD USUM ECCLESIASTICÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

FRANCISCO MARIA DE FALCO

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
SACRÆ THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE.

TOM. II.

TRACTATUS
- DE GRATIA CHRISTI.
- DE SACRAMENTIS.
- DE ACTIBUS HUMANIS.
- DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

AVERSÆ MDCCCXXII.
Ex Typographia S. Mariæ Magdalenæ.
Superiorum permissu.

Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.

Eccli. XI. 3.

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI.

CAP. I.

IN QUO BREVITER EXPONUNTUR PRÆCIPUI HOSTES GRATIÆ CHRISTI, ET EORUM ERRORES.

§. I.

PELAGIANI.

Q. Quid docuerunt *Pelagiani* circa gratiam Christi?

R. *Pelagiani*, duce *Pelagio*, cum negarent existentiam peccati originalis, et contenderent, hominem nasci viribus sanis, et integris, docuerunt 1. hominem, sine auxilio gratiae, posse universam legem servare, totam vitam sine peccato ducere, et mereri vitam aeternam; 2. nomine *gratiae*, quam admiserunt Catholici, intelligi liberum arbitrium, legem, doctrinam, et ad summum solas mentis illustrationes ad facilius operandum, et remissionem peccatorum; quam tamen gratiam secundum merita nostra dari affirmabant; 3. nullo pacto agnoscendam esse

eam gratiam, qua non solum intellectus illustratur, sed etiam adjuvatur voluntas, ut operetur. Haeresis Pelagiana fuit damnata a tribus summis Pontificibus, et viginti quatuor Conciliis, quorum unum fuit œcumenicum, nempe *Ephesinum*, et reliqua particularia.

§. II.

SEMIPELAGIANI.

Q. In quanam re erraverunt *Semipelagiani?*

℟. *Semipelagiani*, ita nuncupati, quia in nonnullis conveniebant cum *Pelagianis*, et in aliis ab iis discrepabant, non negarunt peccati originalis existentiam et necessitatem gratiae ad bona opera, in quo a *Pelagianis* discrepabant, sed docuerunt gratiam non esse necessariam ad initium fidei, et bonae voluntatis, et perseverantiam usque in finem non esse speciale Dei donum; et in hoc consentiebant cum *Pelagianis*. Primum refutati acriter ab *Augustino*, deinde damnati in Concilio *Arausicano* II. non destiterunt bellum adversus doctrinam Catholicam movere.

§ I.

§. III.

Prædestinatiani.

Q. Quinam fuerunt *Praedestinatiani?*

R. Viri eruditi negant, extitisse hanc sectam haereticorum, et errores, qui iis tribuuntur, fuisse contendunt calumnias *Augustini* discipulis a *Semipelagianis* impactas. Errores autem sunt quatuor 1. liberum arbitrium per peccatum Adae fuisse amissum. 2. Deum nolle nisi solos prædestinatos salvare. 3. pro prædestinatis tantum Christum mortuum esse. 4. reliquos prædestinatos esse ad peccandum, et ad pœnam æternam subeundam. Haec quatuor capita damnata sunt in quatuor Conciliis particularibus *Moguntino*, *Carisiaco*, *Tullensi*, et *Valentino*, ac in Concilio generali *Tridentino*.

§. IV.

Lutherani, et Calvinistæ

Q. Quinam sunt *Lutheranorum*, et *Calvinistarum* errores circa gratiam Christi?

R. 1. Docuerunt, gratiam sanctificantem concessam primo homini fuisse naturalem proprietatem, sicut et liberum arbitrium. Utrumque primus homo amisit per peccatum. 2. Volunt, hodie hominem justificari sola fide, qua certissime credat sibi remissa esse peccata per merita Christi, et Calvinistæ addunt,

qua certissime credat, se esse in numero prædestinatorum. In hoc discrepant, quod Lutherani statuunt, gratiam amitti posse, et Calvinistæ amitti non posse semel habitam. 3. Cum juxta ipsos peccatum originale sit *formaliter* ipsa concupiscentia, quæ per baptismum non deletur, et est hominis comes individua usque ad mortem, docent, gratiam non esse interiorem animæ renovationem, sed extrinsecum Dei favorem, quo Deus digna pœnæ non reputat peccata, quia sunt veluti tecta a justitia Christi per fidem apprehensa, sed non deleta. 4 Cum justitia Christi, veluti vestis sit, una in omnibus, qua peccata teguntur, hinc docent, omnes justos esse in justitia aequales. 5. Contendunt, nullum dari meritum bonorum operum, cum omnia opera inficiantur concupiscentia, et vix per Dei misericordiam, attenta justitia Christi per fidem apprehensa, non imputentur fidelibus.

§. V.

BAJUS.

Q. Quinam erant errores *Baji?*

℟. Ex opusculis *Baji*, quae edidit post reditum a Concilio *Tridentino* excerptæ sunt propositiones LXXVIII. vel LXXIX. (secundum varias editiones), quae a doctrina Theologica recedere videbantur, et delatæ Sedi Apostolicae damnatae fuerunt a S. *Pio* V., *Gregorio* XIII., et *Urbano* VIII. tamquam *haereticae*, *erroneae*, *suspectae*, *teme-*

merariae , *scandalosae* , *et piarum aurium offensivae* , *respective* ; h. e. non quaelibet propositio quamlibet censuram ex dictis merebatur , sed alia aliam . Summa errorum *Baji* huc redibat 1. Integritas primae conditionis humanæ naturæ, in qua scilicet conditus fuit Adam , erat ipsi debita , et naturalis , proindeque gratia , et exaltatio ejus in consortium divinæ naturae non erat in eo supernaturalis ; nec meritum in eo statu fuisset supernaturale, nec vita aeterna gratia, sed merces. 2. Per peccatum Adam amisit integritatem, etsi naturalis proprietas juxta ipsum fuerit , et amisit liberum arbitrium . Infidelitas *negativa* , ipsa concupiscentia , et omnia opera infidelium , et peccatorum sunt peccata , quae merentur pœnam aeternam ; nec dantur peccata natura sua venialia ; nullum fieri potest opus bonum , nec esse ullum meritum sine charitate , sive gratia sanctificante . 3. Statuit posse simul consistere gratiam sanctificantem sine peccatorum remissione . *Bajus* agente Francisco Toleto e Societate Jesu , qui postea fuit Cardinalis, propositiones suas damnatas revocavit , et damnavit .

§. VI.

JANSENIUS.

Q. In quo erravit *Jansenius*?

R. *Jansenius* Episcopus Yprensis, multorum annorum spatio, conscripsit librum cui titulus: *Augustinus*. Ex hoc opere post ejus mortem in lucem edito quinque excerptae sunt propositiones adeo famosae ob innumeras, quas in Ecclesia excitarunt turbas. Hae propositiones primum sine nomine auctoris damnatae fuerunt a Theologica facultate Parisiensi. Deinde a pluribus Episcopis Gallicanis, indicato *Jansenii* nomine, denuntiatae *Innocentio* X. proscriptae fuerunt in Bulla: *Cum occasione*. Singulas recitamus eum propria cujusque censura 1. *Aliqua Dei praecepta hominibus volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest, quoque illis gratia, qua fiant possibilia*: damnata est ut *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et ut haeretica*. 2. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*: proscripta est ut *haeretica*. 3. *Ad merendum, vel demerendum, in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: damnata est ut *haeretica*. 4. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in*

hoc

hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere , vel obtemperare : declarata est ut *falsa* quoad primam partem , et *haeretica* quoad secundam. 5. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse , aut sanguinem fudisse* : damnata est ut *temeraria , scandalosa , et intellecta eo sensu , quod Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit* , ut *impia , blasphema , contumeliosa , divinae pietati derogans , et haeretica* . Fautores *Jansenii* non quieverunt , asserentes eas propositiones merito quidem fuisse proscriptas , sed præter primam (quam etiam contendebant , Catholico sensu ab auctore positam) , alias non contineri in libro *Jansenii* , ideoque errore *facti* Pontificem errasse , cum statuit illas quinque propositiones *Jansenii* esse . *Alexander* VII. ut turbis excitatis occurreret , edidit *Formularium* , cui compulit omnes Galliae Episcopos , aliosque suspectos subscribere , in quo dicebatur non solum eas propositiones merito damnatas esse, sed etiam esse ipsius *Jansenii*. Advertendum quod *Jansenius* ante mortem librum illum suum subjecit judicio Sedis Romanæ in testamento , quod suo operi adhuc præfixum legitur .

§. VII.

QUESNELLIUS.

Q. In quo erravit *Quesnellius?*

℟. *Quesnellius* Presbyter Oratorii Gallicani edidit librum, cui titulus: *Novum testamentum, cum animadversionibus moralibus in singulos versus*; sed Gallico idiomate conscriptum. In eo revocavit *Baji*, et *Jansenii* systemata a veritate aliena. Extractae fuerunt ex eo libro CI. propositiones, quas damnavit *Clemens* XI. in celebri constitutione: *Unigênitus*;: tamquam *falsas*, *captiosas*, *male sonantes*, *haereticas*, etc.

CAP.

C A P. II.

De gratiæ generatim spectatæ definitione, divisione, et gratuita largitione.

§ I.

Gratiæ generatim spectatæ definitio.

Q. Quomodo definitur gratia?

R. Gratia generatim definitur: *Donum Dei supernaturale, rationali creaturae a Deo gratis concessum in tempore, ad aeternam beatitudinem consequendam*. Dicitur 1. *Donum Dei*; quae verba in hac gratiae definitione constituunt *genus*, quod complectitur veluti *species* tam bona naturalia, quam supernaturalia; utraque enim sunt dona Dei. Dicitur 2. *supernaturale*; et haec vox locum habet *differentiae*, ut scilicet excludantur bona naturalia, quae licet, ut ait *Augustinus Epist.* CLXXVII. *al.* XCV. ad *Innocentium*, *non improbanda ratione dici possunt gratia*; tamen proprie loquendo *gratia*, *quam doctrina Christiana demonstrat non est natura* (aut ullum naturale donum) *sed qua salvatur natura*, ut pergit idem *Augustinus* cit. loco. Supernaturale hic significat supra *debitum*, et *conditionem* totius naturae h. e. nulla natura creata existit, vel existe-

re potest, cui gratia sit, vel esse possit naturalis proprietas. Dicitur 3. *rationali creaturae*; ut ostendatur *subjectum* gratiae esse hominem, et Angelum. Dicitur 4: *gratis concessum*; nam gratia nullis operibus naturae viribus peractis debetur, *alioquin gratia non esset gratia*, ut ait *Apostolus Rom.* XI.6. Dicitur 5. *In tempore*; ut significetur gratiam non esse illum aeternum amorem, quo Deus ab æterno nos dilexit, sed ipsius amoris effectum in tempore productum. Dicitur 6. *ad aeternam beatitudinem consequendam*, qui est finis, ob quem Deus largitur gratiam, unde gratia dicitur *Joan.* IV. 14. *Fons aquae salientis in vitam aeternam*.

§. II.

MULTIPLEX GRATIÆ DIVISIO.

Q. Quomodo dividitur gratia?

℟. Multipliciter dividitur gratia 1. Dividitur in gratiam *Creatoris*, et *Salvatoris*. Prima est illa, quae Angelis, et primo homini concessa est ex beneficio Creatoris, non vero ex meritis Christi. Altera, quae ex meritis Christi homini lapso tribuitur. 2. Gratia *Salvatoris* dividitur in *externam*, et *internam*. Externa est, quæ hominem exterius movet, ut prædicatio, miracula. Interna, quæ hominis animam interius tangit. 3. Gratia interna dividitur in gratiam *gratis datam*, et *gratiam gratum facientem*. Gratia gratis

tis data est quæ primo, et *per se* tendit ad aliorum salutem, unde potest esse etiam in peccatoribus, quatenus per eam gratiam a Deo acceptam cooperantur aliorum saluti, licet ipsi nullam consequantur utilitatem, ut sunt illi, qui in die judicii clamabunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus . . . . . daemonia ejecimus . . . . . virtutes multas fecimus?* quibus Christus confitebitur: *numquam novi v. s.* Gratia *gratum faciens* primo, ac *per se* datur ad ipsius accipientis salutem. Utraque gratia tribuitur gratis a Deo, sed illa appellatur simpliciter *gratis data*, hæc autem peculiare nomen sortita est, nempe *gratum faciens*, quia hæc illa nobilior est, utpote quæ proprius attingit finem ultimum, et tendit ad conjungendum Deum homini, et hominem Deo. Sic quamvis homo, et bruta continentur sub eodem *genere animalis*, tamen brutis utpote ignobilioribus relictum est nomen generis, appellataque sunt animalia; homini vero datum est nomen peculiare, h. e. nominatus est *homo*. 4. Gratia gratum faciens dividitur *in habitualem*, et *actualem*. Habitualis nuncupatur ea, quæ tamquam habitus *permanenter* inhæret animæ, et facit hominem Deo gratum, ut est gratia sanctificans. Actualis dicitur illa quæ *transeunter* operatur in anima illustrando intellectum, et movendo voluntatem. 5. Gratia actualis dividitur in *operantem*, *cooperantem*, et *subsequentem*. Operans, quæ dicitur etiam *praeveniens* juxta illud *Psal.*

LVIII.

LVIII. *Misericordia ejus praeveniet me*, est ex *Bellarmino lib.* I. *de gr.* et *lib. arb.* 14. deliberatus voluntatis motus, quo voluntas primo incipit operari bonum, sive ex nolente fit bonum volens: *Cooperans* vero, quæ dicitur etiam *adjuvans* juxta illud *Psal.* XCIII. *misericordia tua Domine adjuvabat me*: et *subsequens*, est omnis alia gratia actualis, quæ volantatem per gratiam operantem jam excitatam roborat, et firmat, ut praecepta Dei servet, ne forte, ut saepe accidit, in solis desideriis haereat. 6. Gratia actualis, sive operans, sive cooperans, sive subseqnens, dividitur in *efficacem*, et *sufficientem*. De gratia efficaci habetur *Ezech.* XXXVI. 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis*. De sufficienti vero legitur *Prov.* I. 24. *Vocavi, et renuistis*.

§. III.

GRATUITA GRATIÆ LARGITIO.

Q. Deus largiturne gratis gratiam suam?

℟. De fide certum est, Deum *gratis* largiri gratiam suam; h. e. nullis operibus ex naturali virtute peractis posse creaturam rationalem mereri divinam gratiam: est contra *Pelagium*. Nam 1. Si creatura rationalis virtute sua naturali posset mereri gratiam divinam, utique posset virtute naturali absque praeveniente

niente gratia operari opus ad aeternam salutem ducens, quod apertissime opponitur sacrae Scripturae verbis. *Joan.* XV. 5. *Sine me nihil potestis facere*. II. Cor. III. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* 2. Scriptura absolute, et conceptis verbis rejicit omne meritum ex parte hominis, h. e. ab operibus ex virtute naturali hominis peractis. *Rom.* XI. 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. II. Tim. I. 9. *Liberavit, et vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam*. Quid clarius? 3. *Pelagius* ipse in Concilio Diospolitano damnavit hanc propositionem *Caelestii* nomine in Concilio Carthaginensi damnatam: *gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Et Concilium Arausicanum definivit *Can.* VI. *Si quis sine Dei gratia credentibus, volentibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus . . . . resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti?* Quod in pluribus aliis Conciliis Africanis definitum est, ut refert Cardinalis *Norisius* in *Hist. Pelag.* Idem definivit Concilium *Tridentinum Sess.* VI. *cap.* 5. et *can.* 3. 4. PP. eamdem veritatem uno ore docuerunt. Sic *Augustinus*, qui ex professo Pelagianorum contrarium errorem oppugnavit *Tract.* LXXXVI. *in Joan.* inquit: *Gratia Dei non in-*

invenit meritum, *sed efficit*. Hieronymus in *Epist. ad Philem.* ait: *Gratia est*, *qua nullo merito*, *nec opere salvamur*. Et institutæ brevitatis caussa nominari tantum possunt in eamdem rem consentientes *Leo* M. *Prosper*, *Fulgentius*, *Gregorius* M, aliique. 5. Denique inter meritum, et præmium debet esse proportio. Sed inter opera virtute naturali peracta, et gratiam non est proportio; nam ea sunt naturalia, hæc supernaturalis. Igitur nullis operibus naturali virtute peractis potest creatura rationalis divinam gratiam mereri, sed eam Deus *gratis* largitur.

Q. Potestne saltem creatura rationalis *positive* se disponere ad divinam gratiam ex liberi arbitrii viribus?

℟. Ita opinati sunt nonnulli veteres Scholastici, ut *Scotus*, *Gabriel*, *Durandus*, aliique; sed falsi sunt. Nam Apostolus *Rom.* IX. 16 ait: *non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*; igitur excludit omnem naturalem hominis conatum, et largitionem gratiæ rejicit in unam Dei misericordiam. Unde Prosper in *Carm. de Ingr.* sic scribit de gratia:

Ipsa agit, *et cunctis dux est venientibus ad se*,
Perque ipsam nisi curratur, *non itur ad ipsam*.

Et apertius S. *Thomas* 1. 2 q. CIX. *art.* 6. asserit, et probat, quod *homo non potest se praeparare ad lumen gratiae suscipien-*

piendum nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.

Q. Deus habetne saltem rationem *negativae* dispositionis in suæ gratiæ largitione?

℟. Nullam habet. Nam una ex parte legimus *Matth.* XI. Deum non esse largitum auxilium gratiæ Tyriis, et Sydoniis, licet non essent adeo excæcati, et obdurati, ut erant Cives *Corozaim*, et *Bethsaida*, in quibus *virtutes* fecit. Ex alia parte misericordia usus est Deus erga Magdalenam, Latronem pendentem in cruce, Paulum persecutorem Ecclesiæ, aliosque insignes peccatores, iis gratiam conversionis, et justificationis concedens. Ergo nullam habet rationem *negativae* dispositionis; h. e. non ideo largitur gratiam, quia eum, erga quem misericordia utitur, minus peccatorem agnoscit.

Q. Si creatura rationalis per virtutem naturalem non potest mereri gratiam, vel ad illam se disponere; cur Deus exigit, ut convertamur ad ipsum dicens *Zach.* I. 3. *convertimini ad me?*

℟. In citatis verbis, aliisque similibus Scriptura nos docet, voluntates humanas ita excitari, et adjuvari a gratia, ut non destruatur liberum arbitrium. Unde Concilium *Tridentinum Sess.* VI. *cap.* 5. ait: *Cum in sacris litteris dicitur: convertimini ad me, libertatis nostrae admonemur; cum respondemus: converte nos Domine, et convertemur* (*Thren.* V. 21.) *Dei nos gratia praeveniri confitemur*.

Q. Si homo nullo pacto per vires suas na-

naturales posset se disponere ad divinam gratiam; quomodo Sapiens scripsit *Prov.* XVI. I. *Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam?*

℟. Sensus allati textus hic est: Homo præparat animam suam, sed gratia adjutus. Effectus vero qui sequitur ex ipsius *lingua*, nempe ex correptione, vel concione ad peccatorem, qualis est ipsius peccatoris conversio, soli Deo tribuenda est.

Q. Si per vires liberi arbitrii nequit homo se disponere ad accipiendam gratiam, quo pacto nonnulli Patres, ut *Chrysostomus*, *Irenaeus*, aliique docent in nostra esse potestate incipere, et ad gratiam præparari?

℟. Recitati Patres, et alii, qui docuerunt, nostrum esse incipere, non excludunt gratiæ divinæ auxilium, sine quo nihil agere possumus in ordine ad æternam salutem; sed ita loquuntur, ut innuant, esse etiam necessariam cooperationem nostram; ita ut nec gratia sola, nec voluntas sola posset operari bonum salutis æternæ, sed gratia Dei cum humanæ voluntatis cooperatione, juxta illud *Pauli*: *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Si vero nonnullis Patribus aliquid duriusculum excidit, animadvertendum est, eos vel ante exortas haereses scripsisse, vel locutos esse more Oratorum ad excitandam peccatorum socordiam. Sic neque desunt concionatores, qui dum auditores ad conversionem invitant, quædam dictitant, quæ si non accipiantur cum mica salis, ut inquiunt, et prout in Ecclesia Catholica credi-

ditur, videntur vel Pelagianorum, vel Semipelagianorum errores redolere.

Q. Minora peccata minus gratiam impediunt. Cur falsum est dicere, Deum habere rationem dispositionis *negativae* in gratiae suae largitione?

℟. 1. Peccata sive sint minora, sive majora non impediunt effectum gratiae, quae ideo datur, ut *auferat cor lapideum, et det cor carneum*; unde legimus scelestissimos peccatores, per divinam gratiam, fuisse conversos. 2. Qui habet minora peccata licet sit minus gratia indignus, non est tamen dignus eam accipere. Unde Deus *negativae* dispositionis rationem non habet.

CAP. III.

De gratiarum, quae dicuntur gratis datae, numero, et natura.

§. I.

Numerus gratiarum, quae dicuntur gratis datae.

Q. Quot sunt gratiae, quae dicuntur *gratis datae*.

℟. Novem numerantur ab *Apostolo* I. *Cor*. XII. 8. et seqq. illis verbis: *alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae; alteri fides* . . .

alii

alii gratia sanitatum, *alii operatio virtutum*, *alii prophetia*, *alii genera linguarum*, *alii interpretatio sermonum*, *alii discretio spirituum*.

Q. Estne adæquatus hic gratiarum *gratis datarum* numerus?

℟. Negat Bellarminus *lib.* IV. *de gr. et lib. arb. cap.* 10. At nos dicimus eum numerum adæquatum esse, et probamus, auctoritate, et ratione a D. Thoma petita 1. 2. *q.* CXI. *art.* 4. Gratia *gratis data* primo, ac *per se* datur ad aliorum salutem. At aliorum salus sufficienter procuratur per enumeratas gratias *gratis datas*. Nam per *fidem*, *sapientiam*, et *scientiam* homo perfecte novit, quæ docturus est alios, quorum salutem intendit; *fide* cognoscendo mysteria divinarum rerum; *sapientia* ex mysteriis cognitis, tamquam ex principiis, conclusiones ad pietatem, et salutem opportunas eliciendo; *scientia* res divinas rerum naturalium exemplis illustrando. 2. *per gratiam sanitatum*, *operationem virtutum*, *prophetiam*, et *discretionem spirituum* probat, et confirmat, se vera docere, utens modo una, modo altera gratia *gratis data*, prout Deus dat pro temporis, loci, et personarum, quarum saluti laborat, circumstantiis. 3 Ut possit hujusmodi homo doctor loqui, audiri, et intelligi ab auditoribus, quorum bono inservit, sufficiunt illæ aliæ duæ gratiæ *gratis datae*, nempe *genera linguarum*, et *interpretatio sermonum*.

Q. Quare ad gratias gratis datas non re-

du-

dicuntur etiam character sacerdotalis, et potestas ministrandi sacramenta?

℞. Quia pertinent ad potestatem ministrandi, a qua *Apostolus* aperte distinguit gratias *gratis datas* dicens I. *Cor.* XII. 5. *divisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus; et divisiones ministrationum; idem autem Dominus.*

§. II.

Natura gratiarum, quae appellantur gratis datae.

Q. Quænam est natura gratiarum, quae dicuntur *gratis datae?*

℞. 1. *Scientia*, *sapientia*, *fides*, *dona linguarum*, *interpretatio sermonum* tribuuntur ad modum *habitus* permanentis nam qui eis enumeratis donabantur, pro lubito utebantur, quotiescumque occasio se offerebat; quod utique significat, eas gratias; ad modum habitus tribui. 2. Reliquæ vero gratiæ gratis datæ conceduntur ad modum *actus* transeuntis, quod patet contraria ratione. Nam sive *prophetia*, sive *discretione spirituum*, sive *gratia sanitatum*, sive *operatione virtutum* non semper usi sunt pro lubito suo, qui eas aliquando acceperunt, ut patet ex Scriptura. Sic ex. gr. Propheta *Nathan* prædixit *Davidi*, quod ipse Templum Domini ædificaturus esset; et istud tamquam falsum jussus est retractare II. *Reg.* VII. 5. et Apostoli non potuerunt cu-

curare lunaticum; licet *gratia sanitatum* alias usi essent.

CAP. IV.

IN QUO, TUM GRATIÆ ACTUALIS IN GENERE TUM GRATIÆ EFFICACIS, ET SUFFICIENTIS NATURA EXPLICATUR.

§. I.

NATURA GRATIÆ ACTUALIS IN GENERE.

Q. Quid est generatim gratia actualis?

℟. Est *illustratio intellectus, et motio voluntatis per charitatem actualem.* Nam 1. quod sit illustratio intellectus, patet; quia in Scriptura dicitur *lux*, *Isaiae* IX. 2. *Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*; et in *Psalmis* passim legitur: *Illumina oculos meos*: *Revela oculos meos*: *Illumina tenebras meas*. Quod vero sit etiam *motio voluntatis per actualem charitatem*, colligitur ex illis verbis, *Ezech.* XXXVI. 26. *Dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri.* 2. *Augustinus lib.* II *de pecc. merit. et remiss. cap.* 18. utrumque simul conjungens, nempe illustrationem intellectus, et motionem voluntatis per actualem charitatem ait: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur . . . . quid aliud deprecamur, nisi ut adaperiat quod la-*

latebat, et suave fiat, quod non delectabat? 3 Concilium *Tridentinum Sess.* VI. *cap.* 3. ait, gratiam operari *tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem*. Ex quibus constat, quam manifeste erravit *Pelagius*, qui asseruit gratiam actualem ad summum esse quamdam mentis illustrationem; sed nunquam adduci potuit, ut fateretur esse etiam *inspirationem delectationis, ut cognita sancto amore faciamus*, ut scripsit *Augustinus lib.* IV. *ad Bonifacium cap.* 5.

Q. Si gratia actualis non esset, ut asseruit *Pelagius*, sola mentis illustratio, quo pacto intelligitur, quod ait Christus, *Joan.* VI. 45. *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*; in quibus verbis fit tantum mentio doctrinæ h. e. illustrationis intellectus?

℟. Qui audit, vel discit ab homine, tantum quoad intellectum illustratur; sed qui audit, et discit a Deo, movetur etiam quoad voluntatem per inspirationem charitatis. Hanc doctrinam, ait *Augustinus lib. de grat. Christ. cap.* 13. *sic Deus credatur infundere* . . . . *ut non ostendat tantummodo veritatem, sed etiam impertiat charitatem*.

§. II.

§. II.

DEFINITIO GRATIÆ EFFICACIS.

Q. Quomodo definitur gratia *efficax*.

℟. Gratia *efficax* recte definitur: *Actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult, et operatur bonum, certissime, et insuperaliter, libere tamen, et minime necessario*. Dicitur 1. *actuale Dei auxilium*; quæ verba constituunt *genus*, in quo conveniunt *gratia efficax*, et *sufficiens*; utraque enim est actuale Dei auxilium. Dicitur 2. *qua voluntas actu vult, et operatur bonum*; quibus verbis ponitur *differentia* inter gratiam *efficacem* et *sufficientem*, illa enim dat actu velle, hæc vero dat tantum posse velle. Dicitur 3. *certissime, et insuperabiliter*, ut significetur, gratiam efficacem dare voluntati *ipsum velle*, et *operari* ex intima sua vi, et efficacia. Dicitur 4. *libere tamen, et minime necessario*; ut innuatur, per gratiam efficacem Deum liberum voluntatis arbitrium nec destruere, nec lædere. Igitur vox illa supra posita *insuperabiliter* non significat voluntatem non posse resistere gratiae, sed gratia efficaci adjutam nullis posse tentationibus superari, nisi ipsa velit, quod tamen nunquam eveniet, propter vehementem rerum cœlestium amorem, quo a Spiritu S. accenditur. Quæ tota definitio desumpta est ex verbis *Augustini lib. de correp. et grat. cap.* 12. *Subventum est* igi-

igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.

Q. Si voluntas humana *certissime*, et *insuperabiliter* vult, et operatur bonum sub gratia efficaci, quo pacto salva est ejus libertas?

℟. Libertas non in eo posita est, quod quis eodem tempore agat, et non agat, quod est contradictorium; sed est in eo sita, quod quis, dum agit, possit non agere. Sic homo dicitur *libere* sedere, vel ambulare, quia, dum sedet, potest non sedere, dum ambulat potest non ambulare. Igitur cum voluntas humana sub gratia efficaci ita velit, et operetur bonum, ut possit illud nolle, et non operari, patet, salvam manere ejus libertatem.

Q. Ex eo, quod voluntas humana, sub gratia efficaci, possit, ut dictum est, nolle, et non operari, potestne fieri hypotesis, ut actu nolit, et non operetur bonum?

℟. Minime; quia tunc eodem tempore vellet, et operaretur ex gratia efficaci, et nollet, et non operaretur ex hypotesi; quod contradictorium est. Igitur sub gratia efficaci, cum voluntas humana vult, et operatur bonum, retinet *potentiam* ad nolendum, et non operandum, quod sufficit ad rationem libertatis; sive potest nolle, et non operari *in sensu diviso*, h. e *potentia sejuncta ab actu*, non vero potest nolle et non operari

in sensu composito h. e. *potentia conjuncta cum actu*; quia ut dixi, tunc eodem tempore vellet, et operaretur ex gratia, et nollet, et non operaretur ex hypothesi; quod est contradictorium.

§. II.

DEFINITIO GRATIÆ SUFFICIENTIS.

Q. Quomodo definitur gratia *sufficiens?*

℟. Gratia *sufficiens* recte definitur: *Actuale Dei auxilium, quo voluntas humana potest velle, et operari bonum, sed non vult, nec operatur, libere ei resistendo, et non necessario.* Dicitur 1. *actuale Dei auxilium*; quae verba continent *genus*, cujus species sunt gratia *sufficiens*, et *efficax*. Dicitur 2. *quo voluntas humana potest velle, et operari bonum*; quibus verbis statuitur *differentia* gratiae sufficientis ab efficaci; nam gratia efficax dat *actu* ipsum velle, et operari; gratia vero sufficiens dat tantum *potentiam* volendi, et operandi vel *proximam*, ut cum tribuitur gratia sufficiens diligendi inimicos, vel *remotam*, cum scilicet conceditur gratia sufficiens orandi, ut inimicus diligatur, quæ gratia sufficiens dat *potentiam proximam* orandi, et *remotam* inimicum diligendi.

Q. Quo pacto semper continget, ut gratia sufficiens det *potentiam* operandi, et voluntas nunquam *actu* operetur?

℟. Quia gratia sufficiens, quam *Augustinus* vocat *parvam*, et *invalidam*, est di-

le-

lectio remissior, et minus vehemens; hinc voluntas gratia sufficienti adjuta posset, si vires omnes exereret, bonum operari; sed quia contraria cupiditate illecta non vult omnes vires excutere, bonum ipsum nunquam *actu* operabitur.

CAP. V.

In quo excutiuntur celebratiora systemata circa efficaciam gratiæ; falsa exsufflantur; et verum systema statuitur.

§. I.

Exponitur systema Molinistarum.

Q. Quid docent *Molinistae* circa efficaciam gratiae?

℞. *Ludovicus Molina*, a quo ejus discipuli dicti sunt *Molinistae*, cadente sæculo XVI. in lucem edidit librum, quem inscripsit: *Concordia*, quia in eo laboravit, ut gratiam et praedestinationem cum hominis libero arbitrio conciliaret. In quo haec quatuor statuit 1. Deus vult nullo discrimine omnes homines salvos fieri. 2. Ex hac aequali erga omnes voluntate, dat omnibus æqualia auxilia. 3. Cum homines per peccatum originale tantum supernaturalibus donis fuerint spoliati, nihil vero læsi in naturalibus, liberi arbitrii vires possunt vel bene, vel male

uti iis auxiliis, quæ Deus absque discrimine omnibus æqualia præstat. 4. Deus per *scientiam mediam*, de qua sermo fuit in *Tractatu de Deo*, prævidit ab æterno, nonnullos bene usuros iis auxiliis, alios vero male usuros, hinc hos destinavit ad ignem æternum, et illos ad gloriam; quibus positis, sequitur, gratiam fieri efficacem ab eventu, sive a consensu voluntatis in systemate *Molinistarum*?

§. II.

EXPLODITUR SYSTEMA MOLINISTARUM.

Q. Quid sentiendum est de *systemate Molinistarum*.

℟. Non est admittendum; h. e. efficacitas gratiæ non est repetenda ab eventu, sive a consensu voluntatis. Nam 1. Apostolus *Rom*. IX. 16. rationem reddens, cur homo convertatur, ait: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; nimirum, ut verba sonant, conversio peccatoris repetenda est a misericordia Dei, tamquam a caussa, non vero ab eventu, sive a consensu voluntatis; alioquin esset *volentis*, et *currentis* hominis. 2. Apostolus I. *Cor*. IV. totus in eo est, ut in rebus ad salutem pertinentibus omne motivum superbiæ a cordibus hominum eliminet, statuens, neminem habere aliquid, in quo se discernat ab altero, vel posse inflari adversus alterum, vel posse in se, et non in Domino gloriari: *Quis*, inquit, *te di-*

discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? At si gratiæ efficacitas penderet a consensu voluntatis, homo, qui convertitur, posset dicere se habere aliquid, in quo se discernat ab eo, qui non convertitur; nempe *consensum voluntatis*, per quem gratiam communem ipse reddit efficacem, ac proinde inflari, et in se gloriari. 3. Quod est maxima animadversione dignum, posito Molinistarum systemate, ablegauda esset oratio, quam tamen sacræ litteræ adeo frequenter, et sedulo inculcant. Quid enim oraremus? auxilium Dei? at hoc in systemate Molinistarum Deus omnibus præbet, et semper præsto est; voluntatis consensum? at hic in nostro positus est arbitrio. Quid igitur oraremus? 4 Molinistarum systema novum est, fatente ipso Molina *Quaest.* XXVI. 4. *Disput.* I. *Nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina praedestinatione a nemine, quem viderim, hucusque tradita est.* At nemo non novit in rebus Theologicis, doctrinam novam suspectam esse, et ipsa sua novitate se falsam prodere. Igitur systema Molinistarum circa efficaciam gratiæ a nemine est admittendum.

Q. Potuerunt Angeli boni versatili auxilio gratiæ adjuti in accepta justitia perseverare, quidni etiam homines possunt, per consensum voluntatis, auxilium versatile reddere efficax?

℞. Angeli boni præter gratiam habitualem, qua ornati in bonum erant propensi,

et abhorrebant a malo, nullis concupiscentiæ motibus jactabantur, nulla externa tentatione exagitabantur, et erant viribus liberi arbitrii integris. Quod dici non potest de hominibus in statu naturæ lapsæ. Hinc mirum non est, si homines potentiori, et efficaciori auxilio per se indigeant, quo non indiguerunt Angeli.

Q. Deus *Isaiae* V. 4. conquestus est de Israelitis sub allegoria vineæ dicens: *Quid ultra debui facere vineae meae, et non feci? . . . expectavi, ut faceret uvas, fecit autem spinas*. Quo pacto justa esse potuit hæc querela, si gratia non esset efficax a consensu voluntatis?

℞. 1. Recitata verba intelligenda sunt de gratiis externis, quibus Deus cumulaverat Israelitas, ut patet ex contextu. 2. Etiamsi intelligantur de gratia interiori, justa erat erat Dei querela, quia per gratias sufficientes potuerant Israelitæ bonum operari; et si eæ gratiæ effectu suo caruerunt, culpa fuit ipsorum Israelitarum. Neque injusta dici debet ea querela, quia Deus non dederat efficax per se auxilium; nam Deus gratiam suam nemini debet, et ipsius mandata non sunt impossibilia.

Q. Quare systema Molinistarum non licet ambabus ulnis amplecti, cum per illud mysterium gratiæ, et prædestinationis, ac utriusque cum libertate hominis concordia facilius explicetur?

℞. 1. Hoc ipso systema Molinistarum esset a Scholis omnino ablegandum, quod facilius

lius explicet prædestinationem, gratiam, et utriusque concordiam cum libero hominis arbitrio; nam Apostolus clamat mysterium hujusmodi esse rationi omnino impervium. 2. Si ideo liceret aliquod systema amplecti, quod res in mysteriis fidei latentes dilucidet, fas esset etiam sequi *Nestorianismum*, *Arianismum*, *Socinianismum*, aliasque hæreses, quia ut fidei veritates facerent rationi naturali clariores, non dubitarunt eas omnino evertere.

§. III.

Explicatur systema Congruistarum.

Q. Quodnam est systema *Congruistarum?*

℟. Cum novum Molinæ systema Theologos Catholicos mire offendisset, et propterea damnatum ab Academia Lovaniensi, et Duacensi: deinde in famosis Congregatioibus de *Auxiliis gratiae* Romæ diu, multumque agitatum parum abfuerit, ut damnaretur, *Franciscus Suarez* e Societate Jesu illud temperavit hoc hoc modo: Deus, ipse ait *Lib.* III. De *Auxiliis gr. cap.* IX. per *scientiam mediam* ab æterno prævidit, gratiam suam in circumstantiis magis, vel minus congruis habituram, vel non habituram effectum suum. Hinc conversionem peccatoris volens, decrevit gratiam suam tribuere in circumstantiis magis *congruis*, *ex. gr.* cum peccator est fractus viribus, æger, alioque flagello publico perterrefactus, in quo casu gratia versatilis

certissime effectum suum habuisset ab illis circumstantiis magis congruis, in quibus peccator fuisset versatus. In hoc igitur systemate efficacitas gratiæ repetenda est a circumstantiis congruis; unde ejus sectatores dicti sunt *Congruistae*.

§. IV.

REFELLITUR SYSTEMA CONGRUISTARUM.

Q. Estne admittendum systema *Congruistarum?*

℞. Non est admittendum; quia ad eumdem Molinistarum scopulum impingit. Nam 1. nulla est minus congrua circumstantia, quam cor lapideum, sive obduratum, et tamen Deus per gratiam suam aufert *cor lapideum*, et dat *cor carneum* et facit ut *in praeceptis* homo ambulet, *Ezech.* XXXVI. 26. Quod falsum esset, si gratia requireret circumstantias magis congruas, ut effectum suum sortiatur. 2. Quæ esse poterant circumstantiæ minus congruæ, quam eæ, quibus versabantur Matthæus in telonio, Latro in cruce, et praesertim Paulus furens, et spirans minas adversus Christianos, de quo ajebat *Augustinus lib.*I. *ad Simplic. quaest.* 2. *Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca?* et tamen vocati cito conversi sunt. 3. *Prosper Carm. de Ingrat.* ita cecinit.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat

Ipsa

Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest.

Igitur gratia ipsa per se *omnipotens* est, nec empus opportunum expectat, sed *tempus* ei convertendi peccatorem *semper adest*, sive praesto est. Idem dixerat *Augustinus Homil.* XVIII. *inter* L. rem demonstrans exemplo ejus, qui cum adesset suasor adulterii, non defuisset locus, non tempus flagitium patrandi, tamen peccatum non admisit in circumstantiis incongruis, quia ipsi dicit Deus: *Regebam te mihi*, *servabam te mihi*. 4. In systemate Congruistarum, si serio consideremus, non sunt circumstantiae *congruae*, quae, tamquam caussa, reddunt *efficacem* gratiam versatilem, sed ipse consensus voluntatis; ergo explodendum aeque ac systema Molinistarum.

Q. Si eadem gratia non esset efficax ob circumstantias *congruas* et sufficiens ob circumstantias minus *congruas* quare Christus *Matth.* XI. 21. objurgat Corozaitas, et Bethsaitas, qui non erant conversi per eas *virtutes* per quas conversi fuissent Tyrii, et Sydonii?

℟. 1. *Thomistae*, qui asserunt gratiam efficacem esse *specie* diversam a gratia sufficiente, inquiunt, gratias Corozaitarum, et Bethsaitarum fuisse *sufficientes*, Tyriorum et Sydoniorum futuras efficaces; propterea hi fuissent conversi, illi autem minime conversi sunt. Neque tamen injusta fuit Christi objurgatio, nam Corozaitae, et Bethsaitae si

voluissent potuissent converti per eas gratias sufficientes. 2. *Augustiniani*, qui docenit gratiam efficacem a sufficienti distingui tantum *gradibus*, respondent per easdem gratias, ex quibus Corozaitae, et Bethsaitae non sunt conversi, Tyrios, et Sydonios convertendos fuisse, quia hi non erant adeo excæcati, et obdurati, ut illi. *Non erant*, inquit *Augustinus lib. de Don. Pers. cap.* 14. *sic excaecati oculi*, *neque sic obduratum cor Tyriorum*, *et Sydoniorum*, *quoniam credidissent*, *si qualia viderunt illi*, *signa vidissent*. Neque tamen sequitur, efficacitatem gratiarum, quae tributae essent Tyriis, et Sydoniis repetendam esse a circumstantiis magis congruis, nempe a minori eorum duritie, et caecitate; nam quemadmodum ignis liquefacit ceram, non vero ferreum, vi, et efficacia sua, ita gratiae illae convertissent corda Tyriorum, et Sydoniorum intima sua vi, et potestate, non vero ob minorem eorum duritiem, et cæcitatem, hoc tamen discrimine, quod ignis necessario agit, gratia vero libere.

L V.

§. V.

Exponitur doctrina Augustinianorum, et Thomistarum.

Q. Quid docent *Augustiniani* , et *Thomistae* circa efficaciam gratiae?

℟. Utrique docent efficaciam gratiae repetendam esse ab omnipotentissima Dei voluntate, quae voluntatem hominum in hoc statu ad malum pronam ita vere, et proprie movet ad opera bona ordinis supernaturalis, ut homo libere, et minime necessario illa exerceat; ita ut gratia sit intrinsecus, et vi sua efficax absque liberi arbitrii laesione. Exceptis nonnullis ex Augustinianis, qui docent Deum *moraliter* movere voluntatem hominis, quatenus tantum inspirat boni delectationem, ut voluntas illecta ea dulcedine ipsa se moveat; ceteri omnes communiter ajunt gratiam eo sensu esse intrinsecus, et vi sua *efficacem*, quatenus est *physica* Dei motio.

§. VI.

§. VI.

DEFENDITUR DOCTRINA AUGUSTINIANORUM, ET THOMISTARUM.

Q. Estne admittenda doctrina Augustinianorum, et Thomistarum circa efficaciam gratiae?

℟. Utique admittenda est, utpote adprime consentanea Scripturae, Ecclesiae sensui, Patribus, et in Scholis antiqua. *Nam* 1. Scriptura multoties docet, Deum facere, ut nos operemur bonum. *Ezech.* XXXVI. 2. *faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*; imo asserit, Deum esse, qui operatur nostrum velle. *Philip.* II. 12. *Deus est qui operatur in vobis velle, et perficere*; progreditur ulterius, et comparat operationem divinae gratiae novae creationi. *Eph.* II. 8. *Ipsius sumus factura, creati in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Ad haec, homines dicuntur in Sacra Scriptura divina gratia *trahi*, atque *agi*, sive impelli, *Joan.* VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, et *Rom.* VIII. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei*, quae omnia si, posito partium studio, legantur quieto animo a Molinistis, et Congruistis, statim eis patet gratiam esse intrinsecus, et natura sua efficacem. 2. Ecclesiae sensus hic semper fuit, nempe Deum per gratiam intrinsecus, et natura sua efficacem mo-

movere, et concutere corda hominum; nam in suis publicis orationibus sic Deum precatur *Dom.* IV. *post Pentecosten in secreta oratione: Ad te Domine nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*; et *Dominica* XIII. : *fac nos id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis*. Et ita similiter in aliis suis precibus solet Ecclesia Deum orare, ut cuique notum est. Si igitur Ecclesia, quae est *columna* et *firmamentum veritatis*, et cujus *lex supplicandi statuit legem credendi*, ut ait *Caelestinus* I. totam hominis conversionem repetit ab omnipotentissima Dei voluntate, dicendum est, gratiam non fieri *efficacem* a consensu voluntatis juxta Molinistas, vel a circumstantiis congruis juxta Congruistas, sed esse intrinsecus, et natura sua efficacem. 3. Patres eumdem loquendi modum constanter adhibuerunt, licet nondum exorta hæresi Pelagiana; de gratia quasi obiter scribentes. Tertullianus *lib. de anima cap.* 21. *Gratia potentior est natura, habens in nobis subjacentem sibi liberi arbitrii potestatem*. Cyprianus *lib.* III. *ad Quirinum Cap.* 4. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est*. Basilius *lib. de Spir. Sanct. cap.* 8. *Cum ait Apostolus, in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos, indicat auxilium, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis*. Quid luculentius pro doctrina Augustinianorum, et Thomistarum dici poterat? Sed præ ceteris *Augustinus*, quem Molina ingenue fassus est sibi esse contra-

trarium, missis innumeris aliis suae sententiae argumentis, tamquam basim omnis suæ doctrinæ statuit aliud datum fuisse adjutorium Angelis, et primo homini ante lapsum, quod appellat *adjutorium sine quo*, et nos appellamus gratiam sufficientem; aliud dari homini post lapsum infirmo, quod nominat *adjutorium quo*, et nos gratiam efficacem. Illud *adjutorium sine quo* erat in arbitrio voluntatis, quæ vires habebat integras, nec aliquid ipsi *concupiscentialiter resistebat*; hoc vero *adjutorium quo* necessarium erat post peccatum in tanta infirmitate hujus vitæ, ut voluntas *divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur*. Eamdem loquendi rationem videre est in ceteris Patribus Augustino posterioribus. 4. Denique in omnibus scholis ante Molinam explicata sententia Augustinianorum, et Thomistarum defendebatur, et post Molinam, exceptis Molinistis, et Congruistis illa ipsa sententia tenacius obtinet, et propugnatur. Ergo concludendum est, doctrinam Thomistarum, et Augustinianorum admittendam esse, utpote adprime consentaneam Scripturæ, Ecclesiæ sensui, Patribus, et in Scholis antiquam.

Q. Si gratia esset intrinsecus efficax, quo pacto voluntas hominis ea mota, et excitata libera maneret?

℟. Libertas voluntatis humanæ non in eo sita est, ut simul operetur, et non operetur, quod est contradictorium, sed in eo, quod

quod dum operatur possit non operari, quod norunt omnes. Hoc posito, voluntas hominis gratia intrinsecus, et natura sua efficaci mota, et excitata certissime; *indeclinabiliter*, et *insuperabiliter* operatur, sed tamen potest gratiæ resistere, et non operari; ac proinde manet libera. Igitur Deus ita per gratiam intrinsecus, et natura sua efficacem movet voluntatem, ut ei non adimat potentiam contrariam operandi, in quo posita est natura libertatis.

Q. Posita gratia intrinsecus, et natura sua efficaci, voluntas humana non movetur a seipsa, sed a gratia; igitur quo pacto dici potest libera?

℟. Ut voluntas humana dicatur libere agere, necesse non est, ut moveatur a seipsa, sed sufficit, ut libere velit id, ad quod movetur, conservando scilicet potentiam ad oppositum. Unde ait Augustinus: *certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum*: quod contingit sub gratia intrinsecus, et natura sua efficaci. Deus enim movet caussas secundas modo earum naturæ consentaneo, necessarias necessario, liberas libere.

Q. Estne verum, quod jactant Molinistæ, et Congruistæ, nempe sententiam Augustinianorum, et Thomistarum non longe recedere a Calvinismo

℟. Postquam ab omni erroris suspicione eam sententiam liberarunt SS. Pontifices *Alexander. VII.*, *Innocentius XI.*, et *Benedictus XIII.*, non putamus Molinistas, et

Con-

Congruistas, si qui sunt, eo temeritatis posse progredi, ut sententiæ in Scholis communi audeant impingere calumniam ejusmodi. Si vero olim fuerunt, qui id ausi sunt, pacis, et charitatis amatores reponimus, vel eos systema Augustinianorum, et Thomistarum non intellexisse, vel studio partium abreptos similia effutiisse.

Q. Si gratiæ intrinsecus, et natura sua efficaci voluntas humana nunquam resistentiam opposuit, vel opponet, quo pacto confidenter asseritur, eam sub hujusmodi gratia retinere potentiam resistendi?

℟. Ut dignoscatur in eo, qui agit, esse potentiam non agendi, necesse non est, ut *actu* non agat. Sic in eo, qui movetur a gratia intrinsecus, et natura sua efficaci, licet nunquam opponat resistentiam, tamen negari non potest, adhuc resistendi potentiam eum retinere, quod clarius patet hoc exemplo: Homo sanæ mentis nunquam se præcipitem dedit, aut dabit ex alta turri; quamvis inesse illi potentiam hoc faciendi quis potest inficiari? Similiter voluntas humana gratiæ intrinsecus, et natura sua efficaci nunquam resistentiam opposuit, vel opponet, et temen retinet resistendi possibilitatem.

Q. Saltem negari non potest difficilius conciliari doctrinam de gratia intrinsecus, et natura sua efficaci cum voluntatis humanæ libertate, quam Molinistarum, vel Congruistarum systema; quare non hoc potius, quam illa admittenda?

℟. Lon-

℟. Longe ante tempora Molinistarum, et Congruistarum viderat hanc difficultatem conciliandi libertatem voluntatis humanæ cum doctrina de gratia intrinsecus, et natura sua efficaci Magnus Augustinus, neque tamen ab illa doctrina passus est divelli. Unde ait *lib. de gr. Christi cap.* 47. *Haec quaestio, ubi de gratia, et libero arbitrio disputatur, adeo est ad discernendum difficilis, ut, cum defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, cum contra defenditur gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Neque tamen S. Doctor negavit quod apertum erat, quodque tam evidenter ex sacris litteris, et ex Traditione demonstratur, quia comprehendere non potuit, quod occultum erat. Igitur licet verum esset cum libertate voluntatis humanæ facilius conciliari systema Molinistarum, et Congruistarum, quam Augustinianorum, et Thomistarum, non propterea hoc esset deserendum, et illud admittendum; alioquin mittendus esset nuntius omnibus fidei mysteriis, et systemata hæreticorum revocanda, quia in his res Theologicæ clarius dilucidantur, quæ tamen in illis latent, et sunt obscuræ.

CAP.

CAP. VI.

DE MODO, QUO GRATIA EFFICAX EFFECUM SUUM CERTISSIME OPERATUR, ET VINCIT CONTRARIAM CONCUPISCENTIAM CARNIS.

§. I.

DE MODO, QUO GRATIA EFFICAX EFFECTUM SUUM CERTISSIME OPERATUR.

Q. Quomodo gratia efficax certissime operatur in anima?

℟. Operatur 1. delectando animam cœlesti delectatione; 2. vincendo contrariam concupiscentiam; 3. non lædendo liberum voluntatis arbitrium. Primum patet 1. Quia Scriptura sæpe exprimit gratiam vocabulo *dulcedinis*, *suavitatis*, *delectationis*. *Psal.* XX. *praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, et *Psal.* LXXIV. *Dominus dabit benignitatem*, sive ex Augustino, *suavitatem*, *et terra nostra dabit fructum suum*. 2. Augustinus, qui millies hanc doctrinam inculcat *Tract.* XXVI. *in Joan.* ait: *Trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est*. 3. Omnis actus voluntatis amor est. Si igitur Deus operatur per gratiam suam *velle Philipp.* II. 13. operatur amo-

amorem, seu delectationem. Alterum sic demonstratur 1. Augustinus *lib. de correpț.*, *et gr. cap.* II. ait: *Gratia Dei fit, ut homo velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat.* 2. Caro continuò concupiscit adversus Spiritum, ut infelix quotidiana experientia quemque edocet, et voluntatem ad malum non cessat inclinare; si igitur gratia efficax movet delectando voluntatem ad bonum, movet vincendo contrariam carnis concupiscentiam. Tertium est dogma fidei definitum a Concilio Trid. *sess.* VI. *can.* 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, atque excitatum non posse dissentire*], *si velit . . . . . . anathema sit.* Quod et dixerat Scriptura de justo, qui ex gratia operatur in illis verbis *Eccli.* XXXI. 10. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*; et Augustinus *lib. de spir. et lit. Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Ergo ex demonstratis concludendum est, gratiam efficacem operari delectando animam cœlesti delectatione, vincendo contrariam concupiscentiam carnis, et non lædendo liberum voluntatis arbitrium.

Q. Si gratia efficax operatur semper delectando, quomodo legitur in sacris litteris, Deum trahere ad se peccatores modò fastidio rerum terrenarum, modo timore pœnarum æternarum, modo morbis, aliisque calamitatibus, ita ut dixerit Augustinus *lib. de correpț.*

rept., *et grat. Diversis*, *et innumerabilibus modis Deus homines ad se vocat*, *et reformat?*

℟. Amor, et delectatio est prima caussa omnis actus voluntatis humanæ. Igitur homo fastidit res terrenas, quia delectatur de rebus cœlestibus, timet pœnas æternas, quia amat res cœlestes, et si aliquando propter morbos, aliasque calamitates ad Deum convertitur, id est, quia in iis circumstantiis Deus impertiri solet suavem rerum cœlestium delectationem.

§. II.

Ratio, qua gratia efficax vincit contrariam carnis concupiscentiam.

Q. Quo pacto gratia efficax vincit contrariam carnis concupiscentiam?

℟. Exceptis Pelagianis, et Molinistis, omnes Theologi, qui defendunt gratiam intrinsecus, et natura sua efficacem, agnoscunt naturam gratiæ efficacis sitam esse in delectatione victrici. Nonnulli ajunt, eam esse *absolute* victricem, ita ut quantacumque sit cordis durities, dummodo gratia sit natura, et intrinsecus efficax, etiam minima, eam emolliat, et frangat. Alii ex Augustinianis docent delectationem a Deo inspiratam per gratiam esse *relative* victricem h. e. si inveniat minorem cordis duritiem, eam vincit, et erit efficax, illæsa tamen arbitrii libertate; si vero offendat majorem cordis duritiem

non

non vincet, et erit *inefficax*, et sufficiens. Igitur in priorum Theologorum sententia gratia *efficax* a sufficienti distinguitur *specie*; in posteriorum vero tantum *gradibus*. Dixi 1 *exceptis Pelagianis*, nam ut observatum est alibi, Pelagius nunquam adduci potuit, ut admitteret gratiam esse *inspirationem dilectionis*, *qua cognita sancto amore faciamus*. Dixi 2. *exceptis Molinistis*; nam ii non admittunt delectationem *absolute* victricem, quia eadem est cum gratia intrinsecus, et natura sua efficaci, quam mordicus negant; non recipiunt delectationem *relative* victricem, quia contendunt eam esse ipsissimam *Jansenii* doctrinam.

Q. Mereturne hanc censuram *Jansenismi*, qua notatur a Molinistis, sententia eorum, qui asserunt, gratiam efficacem esse *relative* victricem?

℟. Non meretur, imo est mera calumnia ipsi impacta; tum quia etiam post SS. Pontificum constitutiones contra *Jansenium* promulgatas, scientibus ipsis Pontificibus, propugnata est a summis viris, ut sunt *Berti*, *Norisius*, P. *Massoulier*, *Franciscus Macedo*, aliique; tum quia toto cœlo distat a Jansenii systemate. Nam *Jansenius* statuebat sub majori delectatione cœlesti voluntatem non posse gratiæ dissentire, et obsequi minori concupiscentiæ; et sub ferventiori concupiscentia voluntatem non posse concupiscentiæ obsistere; et obtemperare minori delectationi cœlesti, nempe gratiæ. At laudati defensores doctrinæ de gratia efficaci *relative* victri-

ci

ei constanter tenent voluntatem semper manere liberam, et retinere potentiam dissentiendi vel sub delectatione cœlesti, vel sub concupiscentia gradibus, et *relative* majori.

Q. Quænam igitur sententia ex duabus expositis de delectatione *absolute*, et *relative* victrici est tenenda?

℟. Satis fuit nobis demonstrare doctrinam de delectatione *relative* victrici nihil habere commune cum *Jansenismo*. Utrum vero ea delectatio, quæ vincit concupiscentiam carnis, *absolute*, an *relative* sit victrix, in loco scopuloso, et difficili versantes nolumus definire.

C A P. VII.

De necessitate gratiae efficacis ad cognoscendum verum , et ad amandum bonum .

§. I.

Utrum veritates naturales possint cognosci sine gratia Christi .

Q. Homo indigetne gratia Christi ad agnoscendas veritates naturales ?

℟. Potest homo sine gratia Christi cognoscere aliquas veritates , non tamen omnes . Nam 1. ait Apostolus *Rom.* I. 20. *Invisibilia ipsius a creatura Mundi per ea , quae facta sunt , intellecta conspiciuntur* . h. e. homo sua ratione naturali utens , et res creatas considerans, tum quoad ipsarum naturam , tum quoad dispositionem , et structuram , ratiocinando nonnulla potest de Deo cognoscere,ut ipsius existentiam,providentiam,et caet. 2. Philosophi gentiles , ut ex eorum libris manifestum est , *actu* cognoverunt plurimas veritates Mathematicas , Philosophicas , aliasque ad divinitatem pertinentes ; et quidem sine gratia , nam prima gratia est fides , qua ipsi caruerunt . 3. Licet lumen rationis ex peccato obnubilatum , et attenuatum fuerit , non est tam omnino extinctum Igitur ad

cognoscendas veritates naturales per seipsum homo valet sine gratiae Christi adjutorio. Dixi: *non tamen omnes*; nam quo minus homo omnes omnino naturales veritates cognoscat, multa prohibent impedimenta 1. humane mentis obnubilatio ex peccato originali profecta. 2. nonnullarum veritatum naturalium profunda obscuritas. 3. vitae humanae summa brevitas. 4. ipsarum veritatum cognoscendarum immensa prope multitudo 5. morbi, quibus obnoxii esse solent, qui vitam in studiis occupatam agunt. 6. diversa studia, quibus vel naturæ humanæ, vel societatis, in qua vivitur, necessitate, mens distrahitur. Haec omnia, et alia id genus certissime impediunt, quominus homo omnes omnino veritates naturales per se assequatur.

Q. Estne idem dicendum de veritatibus *practicis*, quod dictum est de veritatibus *speculativis*?

℟ Profecto. Nam veritates *practicae* sunt illae quæ ad mores pertinent At homo non potest *invincibiliter* ignorare prima principia juris naturæ ex gr. *quod tibi non vis alteri ne feceris*; neque primarias juris naturae conclusiones, qualia sunt præcepta decalogi; ut omnes fatentur Theologi. Ergo per se, et sine gratia Christi potest has saltêm veritates practicas cognoscere, licet ad cognoscendas omnes omnino veritates naturales *practicas*, quæ scilicet sunt juris naturalis remotæ conclusiones, indigeat gratia Christi, cum virtute

te sua non possit eas attingere ex supra memoratis rationibus .

Q. Si homo potest sine gratia Christi cognoscere aliquas veritates tum speculativas , tum practicas , quare Apostolus II. *Cor.* III. 5. ait : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis , quasi ex nobis , sed sufficientia nostra ex Deo est ?*

℟. Sensus Apostoli est , nos nihil posse cogitare in ordine ad vitam aeternam sine gratia Christi ; non vero in ordine naturali . Quod patet ex scopo Apostoli , qui non loquebatur de scientiis Mathematicis , et Philosophicis , sed de iis , quae ad Religionem pertinebant , ut notat *Augustinus lib. de Praedest. Sanct. cap.* 2.

§. II.

UTRUM VERITATES SUPERNATURALES COGNOSCI POSSINT SINE GRATIA CHRISTI.

℟. Possuntne sine gratia Christi cognosci veritates supernaturales?

℟. De fide est, sine gratia Christi nullas cognosci posse veritates supernaturales, neque perfecte, neque imperfecte. Nam 1. Apostolus absolute pronunciat, fidem, seu cognitionem veritatum supernaturalium esse donum Dei. *Philip.* I. 24. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut pro illo patiamini*; in quae verba ait *Augustinus lib. de Praedest. Sanct. cap.* 2. *Utrumque ostendit donum Dei, quia utrumque dixit esse donatum*. 2. Ait idem Apostolus II. *Cor.* II. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Quæ verba demonstrant, non solum fidem perfectam, sed etiam imperfectam, et inchoatam esse in nobis ex gratia Christi. Unde Augustinus in recitatum locum inquit *lib. de Praed. Sanct. cap.* 7. *Attendant, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei caeptum, et ex Deo fidei incrementum. Quis enim non videt prius esse cogitare, quam credere?* Quasi dixisset: si non possumus aliquid cogitare in ordine ad vitam aeternam sine gratia Christi, quod est prius; quomodo etiam

etiam imperfecte credere sine gratia Christi, quod est posterius? 3. Si quis sine gratia Christi, sed virtute propria posset habere perfectam, vel etiam imperfectam fidem, sive cognitionem veritatum supernaturalium, hic utique posset gloriari, et inflari adversus alterum, qui ea caret, quam superbiam in ordine supernaturali, et negotio salutis omnino eliminat Apostolus per ea verba I. *Cor.* IV. 7. *Quis te discernit? quid habes, quid non accepisti?* 4. In Concilio Arausicano, quod dici debet Oecumenicum per *acceptationem* totius Ecclesiae sic definitum fuit *Can.* VI. *Si quis sicut augumentum, ita etiam initium fidei . . . . - non per gratiae donum . . . . . sed naturaliter nobis inesse dixerit, Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur*; et idipsum Tridentina Synonus *sess.* VI. *can.* 3. confirmavit. 5. Augustinus in libris *de praedest. Sanct.* et *don. perseverant.*, in quibus ex professo oppugnat contrarium errorem, longam seriem texit Ecclesiae Patrum, qui omni aevo hanc fidei veritatem, quam defendimus, professi sunt. 6. denique Ecclesia in suis orationibus, quas ad Deum fundit pro infidelibus, orat ut Deus per gratiam suam illos ad fidem convertat. Ergo dogma fidei est neminem posse credere, neque perfecte, quod asserebant *Pelagiani*, neque imperfecte, et inchoate, quod ajebant *Semipelagiani*, sine gratia Christi.

§. III.

UTRUM HOMO POSSIT OPERARI ALIQUOD OPUS MORALITER BONUM SINE GRATIA SANCTIFICANTE, SIVE CHARITATE HABITUALI.

Q. Potesine homo sine gratia sanctificante, sive charitate habituali operari bonum?

℟. De fide est, posse, hominem sine gratia sanctificante, sive charitate habituali, operari aliquod opus moraliter bonum. Nam. 1. Deus in sacris litteris hortatur peccatores ad poenitentiam, aliaque opera bona, quibus disponantur ad justificationem, h. e. ad accipiendam gratiam habitualem, *Ezech*. XVIII. 38. *Convertimini, agite poenitentiam de omnibus iniquitatibus vestris*. Ergo antequam peccator justificetur, h. e. accipiat gratiam habitualem, potest *agere poenitentiam*, sive opus ordinis supernaturalis; multo magis potest operari bonum ordinis naturalis sine gratia habituali. Et *Act*. X. 2. Cornelius Centurio, per orationem, et elemosynas dispositus est ad gratiam justificationis, h. e. gratiam habitualem, quam nondum acceperat. 2. Concilium Constantiense *sess*. XV. inter errores *Joannis Hus* recenset eam propositionem: *Sine gratia sanctificante nullum bonum opus fieri potest*. Et Concilium Tridentinum *sess*. VI. *can*. 7. sic definivit: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt . . . vere esse peccata, anathema sit*. Et *Pius*

V.,

V., et *Gregorius* XIII. damnarunt sequentes *Baji* propositiones: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. 3. Homo justus, in quo dominatur charitas habitualis sæpius labitur in peccata venialia. Ergo e converso homo peccator, in quo dominatur cupiditas habitualis potest aliquod opus bonum operari sive in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere, ut ait *Augustinus de spir. et lit. cap.* 28.

Q. Si homo peccator potest aliquod opus bonum sine gratia Christi habituali operari, quomodo stare potest, quod legitur *Matth.* VII. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere?*

℟. Dicitur *arbor mala non posse bonos fructus facere*; quatenus bona est. Non enim ex malitia bonitas, neque ex bonitate malitia oriri potest. Sed quemadmodum justus stimulante cupiditate non cessat esse *arbor bona*, et in peccata venialia labitur, quæ utique sunt *fructus* in suo genere *mali*; ita peccator illustrante, et adjuvante Deo per gratiam actualem, quamvis non desinat esse *arbor mala*, tamen potest aliquem *fructum bonum* h. e. bonum opus operari movente scilicet Spiritu S. sed nondum inhabitante.

§. IV.

VTRUM HOMO POSSIT FACERE OPUS ALIQUOD MORALITER BONUM SINE FIDE THEOLOGICA, ET CHRISTIANA.

Q. Potest homo sine fide Theologica, et Christiana, facere aliquod opus *moraliter* bonum?

R. Dogma fidei est, posse hominem operari aliquod opus *moraliter* bonum sine fide Theologica, et Christiana. Nam discimus ex Scriptura *Exodi* I. 21. Deum ædificasse domos, h. e. bona temporalia contulisse obstetricibus Ægyptiorum eo quod pepercerint masculis Hebræorum contra præceptum Pharaonis. Igitnr hoc eorum opus, quamvis sine fide Theologica, et Christiana peractum, fuit *moraliter* bonum. Hinc Chrysostomus *Homil.* LXVII. *ad pop. Nemo*, ait, *est adeo malus, qui non habet aliquid boni, cujus caussa bonum aliquod temporale mereatur*. Et Augustini sententia fuit *lib.* VII. *de Civit. cap.* 17. Deum Romanis ob eorum opera laudabilia, licet sine fide peracta, gloriam excellentissimi imperii contulisse.

Q. Si ita est; cur Apostolus Rom. XIV. 13. scribit: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est?*

R. 1. In textu Apostoli recitato *fides* accipitur pro conscientia, ita ut sensus sit: quod non est ex conscientia recta, sed contra ipsam, peccatum est, ut explicant Patres

tres Græci, et Concilium Lateranense IV. 2. Si *fides* ibi accipitur pro fide Theologica, ut voluit *Augustinus*, idem sensus omnino est, scilicet omne, quod non est ex fide, sive fidei opponitur, peccatum est.

§. V.

Utrum homo possit facere aliquod opus moraliter bonum sine gratia actuali.

Q. Potestne homo facere aliquod opus *moraliter* bonum sine gratia actuali?

℟. 1. Si absolute loquamur potest homo sine gratia actuali facere opus *moraliter* bonum ex *objecto*, et fine *proximo*, h. e. colere parentes ex grati animi officio, sublevare pauperem ex animi misericordia; tum quia hujusmodi opera sunt factu facilia; tum quia sunt rationi consentanea; tum quia imago Dei non est adeo detrita in homine, ut nulla in eo lineamenta remanserint, per quæ homo fine aliquo honesto moveri possit ad operandum. Dixi: *si absolute loquamur*; nam ubi nulla est Dei gratia, et fervet concupiscentia fere nunquam accidit in *praxi*, ut opus bonum *ex objecto* non inficiatur fine *proximo* malo, nempe vel ex cupiditate, vel ex superbia. 2. Verisimilius est, sine Dei gratia fieri non posse opus *moraliter* bonum ex fine *ultimo*. Nam finis ultimus dicitur ille, qui maxime diligitur ex Aristotele. Ut igitur homo propter finem ultimum, nempe Deum operetur, debet illum

diligere. At homo sine Dei gratia non potest diligere Deum I. *Joan.* IV. 1. *Charitas ex Deo est*; Et Arausicanum II *Can.* XXV. *Prorsus Dei donum est diligere Deum*.

Q. Nonne hæc doctrina parum differt ab errore *Baji*, et *Quesnellii*, qui docuerunt sine charitate omne opus peccatum esse?

℟. Longissime distat. Nam 1. requirebant illi in homine charitatem habitualem, sive gratiam sanctificantem. 2. Omne opus sine charitate peractum existimabant malum, tum ex *objecto*, et fine *proximo*, tum ex fine *ultimo*; imo damnabant ipsos involuntarios concupiscentiæ motus, quia quidquid agit homo sine charitate habituali inficitur concupiscentia, quæ juxta illos peccatum est,

CAP.

C A P. VIII.

De necessitate gratiæ ad vitanda peccata venialia, et ad singulos pietatis actus etiam faciles.

§. I.

Necessitas gratiæ ad vitanda peccata venialia.

Q. Possuntne vitari peccata venialia sine gratia?

℟. Dogma fidei est, omnia peccata venialia n toto vitæ cursu non posse vitari *potentia morali*, sine extraordinariis gratiæ auxiliis. Nam homo justus, cui non desunt gratiæ ordinariæ, non est immunis a peccatis venialibus. *Psal.* CXLII. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, et generatim, II. *Paralip.* VI. 36. *Non est homo, qui non peccet*. Rationem reddit S. *Thomas*, cujus auctoritate confirmatur doctrina catholica; sic enim ait 1. 2. q. CIX. *art.* 8. *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii; non autem*

 omnes,

omnes, *quia dum uni resistere nititur*, *fortasse alius insurgit*, *et quia ratio non potest esse semper pervigil*. Hinc contrarium *Pelagianorum* errorem damnavit Concilium Milevitanum II. Et Concilium Tridentinum *sess.* VI. *can.* 23. definivit: *Si quis hominem semel in vita justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare . . . . . anathema sit*. Dixi 1. *omnia peccata venialia*; nam homo singula vitare potest, ut observat S. *Thomas* loco recitato: *motus singulos ratio reprimere potest*, *et ex hoc habent rationem peccati*, *et voluntarii*. Dixi 2. *potentia morali*, h. e. sine difficultate; nam in assidua lucta cum vaferrimis hostibus difficile est, ut levia non accipiantur vulnera. Dixi 3. *sine auxiliis gratiae extraordinariis*; ubi enim hæc adfuerint (*quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, h. e. pie credit, ut ait *Concilium Tridentinum sess.* VI. *can.* 3.) omnia simul peccata vitari possunt.

Q. Si omnia peccata venialia vitari non possunt *potentia morali* per auxilia gratiæ ordinaria, cur Deus jubet, nos esse perfectos *Matth.* V. 48. *Estote perfecti*, *sicut et Pater vester perfectus est?*

℟. Deus jubet, nos esse perfectos perfectione, quæ est propria hujus viæ. Porro in hac via, qua ad patriam pergimus; quantalibet charitate homo justus ferveat, non potest *potentia morali* immunis esse a levioribus culpis. Igitur homo justus erit perfectus, si servet se incolumem a peccatis le-

ta-

talibus, peccata venialia quantum pot est nitatur avertere, et ea, quæ fragilitate contrahit, eleemosynis, aliisque piis operibus mundare non negligat.

Q. A sensu *distributivo* ad *collectivum* valet consequentia. Si igitur potest homo vitare singula peccata venialia, cur non omnia?

℟. Quia ad vitanda singula seorsim peccata venialia non occurrunt eae difficultates, quas in vitandis omnibus simul sumtis offendit homo justus. Cum enim dicitur homo posse vitare singula peccata venialia, sensus est, nullum esse peccatum veniale, quod vitari non possit; at in tota peccatorum venialium collectione sunt aliqua indeterminate peccata venialia, quae *potentia morali* vitari non possunt, quia *dum uni resistere nititur* justus, *alius motus fortasse insurgit*, *et quia ratio non potest esse semper pervigil*, ut ait S. *Thomas*.

§. II.

Necessitas gratiæ ad singulos pietatis actus etiam faciles.

Q. Estne gratia necessaria ad singulos pietatis actus etiam faciles?

℟. Omnes Theologi fatentur, necessariam esse gratiam ad eos actus. At nonnulli etiam anti-molinistae contendunt non esse necessariam gratiam efficacem, sed sufficere versatilem, et sufficientem. Nos con-

trarium sentimus. Nam 1. omnis gratia, quae habet effectum, dicenda est natura sua, et intrinsecus efficax, ut supra demonstratum est. 2. Quid facilius oratione? tamen *Augustinus* tribuit eam gratiae efficaci; exponens enim ea Apostoli verba: *quid oramus nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, haec habet *Epist.* CXIV. *al.* CV. *ad Xistum*: *Quid est autem interpellat pro nobis, nisi interpellare nos facit? . . . . adjutorium Spiritus S. sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit*. Quid clarius?

CAP.

C A P. IX.

De gratiæ sufficientis existentia, et de iis, quibus tribuitur, vel negatur.

§. I.

Existentia gratiæ sufficientis.

Q. Daturne gratia sufficiens?

℟. *Jansenius* propositione II. inter quinque famosas, scilicet: *Inferiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*, docuit nullam dari gratiam *sufficientem*; quia omnis gratia habet omnem effectum suum. Sed dogma fidei est, dari gratiam parvam, et inefficacem, cui voluntas humana resistit, ac proinde non efficit totum id, ad quod ex voluntate Dei *antecedenti* datur. Nam expresse legitur *Act.* VII. 51. Stephanum sic Judaeos increpasse: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Et *Proverb.* I. 24. *Vocavi, et renuistis*. Unde Augustinus *lib.* I. *de peccat. mer. cap.* 34. asserit post baptismum habere hominem concupiscentiam, *cum qua pugnet; eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam Dei susceperit*; alludens ad ea Apostoli verba II. *Cor.* VI. 1. *Exhortamur, ne in vacuum Dei recipiatis*. Denique ex Concilio Arausicano

cano II. baptizati; et ex Concilio Tridentino omnes justi adjuvantur Dei gratia, ut possint adimplere Dei mandata. At non omnes actu ea adimplent. Ergo resistunt Dei gratiae. Merito igitur *Innocentius* X., et *Alexander* VII. damnarunt *Jansenii* propositionem num. 2. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*. Dixi; *non efficit totum id*; efficit enim aliquid; nam gratia *sufficiens* est auxilium actuale; at auxilium actuale intelligi nequit sine aliqua illustratione intellectus, et motione voluntatis. Dixi 2. *ex voluntate Dei antecedenti*; nam voluntas Dei *absoluta*, et *consequens* semper impletur, et efficitur ab homine totum id, ad quod ea per gratiam suam movet.

Q. Quomodo admittitur gratia, cui voluntas humana resistit; cum dicat Apostolus *Rom*. IX. 19. *Voluntati ejus quis resistit?*

R. Apostolus vult, voluntati Dei *absolutae*, et *consequenti* nunquam resisti; hinc gratia sufficiens habet parvum, et imperfectum illum effectum, quem Deus voluntate sua *absoluta*, et *consequenti* vult producere in homine; sed voluntas Dei *antecedens* non semper impletur *Act*. VII. 51. *Vos spiritui Sancto semper resistitis*; ac proinde per gratiam ex voluntate *antecedenti* Dei datam homo culpa sua non efficit totum id, ad quod gratia illa concessa est.

Q. Ex eo quod gratia sufficiens non efficit totum id, ad quod datur, sequiturne eam esse inutilem, et noxiam?

R. Minime sequitur. Nam, ut ait P. Mis-

Massoulier : *nullum est sufficiens auxilium*, *quod ex aliqua parte efficaciam non habet*. Igitur si non efficit totum id, ad quod datur, certe illustrat intellectum, et movet voluntatem, alioquin non esset gratia; et peccator minori cupiditate peccat ob conterrentis conscientiæ stimulos. Quod vero omnem effectum non habet, non ipsi gratiæ, sed hominis culpae est tribuendum.

§. II.

Ii, quibus datur, vel negatur gratia sufficiens.

Q. Quinam sunt ii, quibus datur, vel negatur gratia sufficiens?

℟. 1. Dogma fidei est, justis, instante praecepto, tribui gratiam sufficientem, qua possint vel ipsum praeceptum servare, vel potentius auxilium obtinere ad illud servandum. I. *Cor*. X. 13. *Fidelis Deus*, *qui non patietur vos tentari supra id*, *quod potestis*, *sed faciet etiam cum tentatione proventum*, *ut possitis sustinere*; quae verba de justis dicta esse explicavit Concilium Tridentinum *sess*. XXIV. *cap* 9. Et idem Concilium damnans errorem, quo dicitur: *Dei praecepta homini justificato esse ad operandum impossibilia*, subjungit *sess*. VI. *cap*. 2. Deus *impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet facere*, *quod possis*, *petere*, *quod non possis*, *et adjuvat*, *ut possis*. 2. Dogma fidei est, non esse injustum Deum,

si

si omnibus hominibus in pœnam peccati mortalis gratiam sufficientem denegaret. *Sap.* XII. 12. *Quis stabit contra judicium tuum . . . . si perierint omnes nationes, quas tu fecisti?* Igitur homini peccatori, cui debetur sola pœna, non esset injustus Deus, si gratiam *sufficientem* negaret. 3. Deus omnibus, et singulis hominibus praeparavit auxilia sufficientia ad salutem, quae tamen omnes *actu* non accipiunt. Apostolus I. *Tim.* IV. 20. *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; qui vult finem vult etiam medium ad finem. Dixi: *quae tamen omnes actu non accipiunt*; sic enim declaravit Concilium Tridentinum *sess.* V. *cap.* 3. *Etsi*, ait, *Christus pro omnibus mortuus sit, non tamen omnes mortis ejus beneficium accipiunt.* Et Augustinus scripserat *Epist. ad Vitalem*, *Communis est omnibus natura, non gratia.* In quo adoranda sunt judicia Dei. 3. Probabile est, nonnullos infideles non accipere gratiam *sufficientem* ad credendum. Nam ut ait Apostolus *Rom.* X. 14. *Fides ex auditu*. Cum igitur nonnulli infideles non potuerint Evangelium audire, dicendum est, non accepisse gratiam *sufficientem* ad credendum. Dixi *probabile est*; nam modis, quos Deus habet operandi, nulli limites præscribi possunt. 4. Probabile est, quibusdam peccatoribus excaecatis, et obduratis denegari gratiam *sufficientem*; ii enim dicuntur in sacris litteris *dimitti, derelinqui, exaecari*, et *indurari.* Quod explicat Augustinus *Tract.* LIII. *in Joan.*

Joan. excaecat, *et obdurat Deus deserendo*, *et non adjuvando*, *quod occulto judicio facere potest*, *injusto non potest*. Dixi: *probabile est*, quia non desunt qui ex eo quod Deus dicatur in Scripturis *misereri omnium: velle omnes homines salvos fieri*, docent hujusmodi excaecatis, et induratis non omnino deesse omnem gratiam *sufficientem*, sed aliquando eam concedi, quam ipsi contemnunt, et suffocant.

Q. Si nonnullis denegetur etiam gratia *sufficiens* sequiturne, mandata Dei esse illis servatu impossibilia?

℞. Mandata Dei sunt illis servatu impossibilia *moraliter*; non vero *physice*. Quamdiu enim vivunt, possunt transgredi, et non transgredi, facere mala, et non facere. In illam vero impossibilitatem *moralem*, h. e. gravissimam difficultatem sensim, et voluntarie se conjecerunt.

Q. Estne omnino desperandum de excaecatis, et obduratis eo quod Deus illis nullam omnino gratiam impertitur?

℞. 1. Denegari hujusmodi gratiam sufficientem probabile est, non omnino certum. 2. Nemo novit, quis ad eum excaecationis, et obdurationis gradum pervenerit. 3. Deus jubet quemlibet de aeterna sua salute omni tempore sperare; potest igitur fieri, ut *qui de lapidibus suscitare potest filios Abraham*, per gratiam suam omnipotentissimam, quando ipsi placet, hujusmodi excaecatis, et induratis *auferat cor lapideum*, *et det cor carneum*.

CAP.

CAP. X.

DE GRATIÆ HABITUALIS, SIVE SANCTIFICANTIS NATURA, ET EXISTENTIA.

§. I.

EXISTENTIA GRATIÆ HABITUALIS, SIVE SANCTIFICANTIS.

Q. DAturne gratia habitualis, sive sanctificans?

℞. Clarissime patet, dari gratiam habitualem, sive sanctificantem; nec ipsi haeretici diffitentur. Nam legitur I *Cor.* VI. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Et *Rom.* V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

§. II.

§. II.

Natura gratiae habitualis, sive sanctificantis.

Q. Quid est gratia habitualis, sive sanctificans?

℟. *Thomistae* contendunt esse habitum quemdam reipsa a charitate distinctum; sed nobis verisimilior videtur sententia eorum, qui asserunt esse ipsam charitatem. Nam effectus proprii gratiae habitualis, sive sanctificantis tribuuntur in sacris litteris semper charitati. Sic charitas delet peccata, *charitas operit multitudinem peccatorum*. I. *Pet.* II. Transfert a morte spirituali ad vitam spiritualem: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres*. *Joan.* III. 14. Facit hominem Filium Dei adoptivum: *Omnis, qui diligit ex Deo natus est* I. *Joan.* 7. Igitur gratia habitualis, sive sanctificans est ipsa charitas.

Q. Gratia habitualis, sive sanctificans est ipsa charitas actualis, an habitualis?

℟. Est charitas habitualis; quod patet exemplo parvulorum, quibus in Baptismo infunditur gratia habitualis, sive sanctificans cujus natura constituitur per charitatem, nec illi actuum charitatis sunt capaces.

Q. Potestne dici, charitatem, quae constituit naturam gratiae habitualis, sive sanctificantis esse ipsum Spiritum Sanctum?

℟. Ita sensit *Magister Sententiarum*; sed de-

deceptus est. Charitas enim distinguitur a Spiritu Sancto, ut effectus a caussa. *Rom.* V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Negari tamen non potest ipsam Spiritus Sancti personam ineffabili modo communicari homini sanctificato; nam Apostolus post verba mox laudata immediate subjungit: *qui datus est nobis*.

Q. Habitus charitatis estne res aliqua ab ipsa anima distincta?

℟. Minime; sed est ipsius animae supernaturalis modificatio. *Amor enim nihil aliud est nisi motus animi*, ut ait *Augustinus Tract.* **XXII.** *in Joannem*.

CAP.

CAP. XI.

De justificationis dispositionibus, natura, et proprietatibus.

§. I.

Dispositiones Justificationis.

Q. Quaenam sunt dispositiones justificationis?

R. *Novatores* affirmant, solam fidem justificare; qua scilicet homo certissime credat, sibi imputari justitiam Christi, vel ut contendit *Calvinus*, se esse in numero prædestinatorum. At contra Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* 6. sex enumerat justificationis dispositiones, nempe fidem, timorem, spem, charitatem, contritionem, et propositum suscipiendi sacramentum, et Dei manta servandi; sic enim statuit: *Disponuntur ad ipsam justitiam, cum excitati gratia Dei . . . . . libere moventur in Deum credentes . . . . . et dum a justitiae divinae timore, quo utiliter concutiuntur . . . . . in spem eriguntur . . . . . illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium . . . . . denique dum proponunt suscipere baptismum . . . . et servare divina mandata.*

Q. Quid

Q. Quid intelligit Concilium Tridentinum nomine fidei, quae est prima justificationis dispositio?

℞. Non intelligit fiduciam divinarum promissionum, sed fidem qua homo credit omnibus, quae Deus revelavit, ac praesertim esse Deum, et quidem remuneratorem, mysteria *SS. Trinitatis*, et *Incarnationis*. Unde *sess.* VI. *can.* 3. sic definivit. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, anathema sit.*

Q. Estne falsum solam fidem justificare?

℞. Imo haereticum est illud asserere. Hoc enim erat praecipuum Novatorum dogma, quod anathemate perculit Concilium Tridentinum *sess.* VI. *can.* 9. *Si quis dixerit sola fide homines justificari, anathema sit.* Et revera 1. in sacra Scriptura legimus I. *Cor.* XIII. 2. quod ait Apostolus: *Si habuero omnem fidem . . . . charitatem autem non habuero nihil sum.* Et Galat. V. 6. scribit fidem valere, sed *quae per charitatem operatur.* 2. Augustinus *lib.* XV. *de Trinit. Fides*, inquit, *sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.* Idem docuit constans, et perpetua Patrum traditio.

Q. Si hæreticum est asserere solam fidem justificare cur Apostolus *Rom.* III 26. ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus?*

℞. Ex scopo Apostoli, et contextu orationis patet Apostolum rejecisse a justificatione

tione opera, quae fidem praecedunt, non vero opera ex fide facta. Reprehendit enim Judaeos gloriantes in lege Moysis, quam fuerunt transgressi, et Gentiles in lege naturali sine fide, quae est justitiae fundamentum. Quod vero Apostolus praeter fidem requirat opera praesertim ex charitate peracta patet ex textu *Gal.* V. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.*

Q. Si praeter fidem requiruntur alia opera ad justificationem, cur ait Christus *Luc.* VIII. 50. *Crede tantum, et salva erit?*

℟. Ibi sermo est de salute corporali filiae Archisynagogi, non vero de salute spirituali; nec ibi exigitur fides ad justificationem, sed fides miraculorum.

Q. Fides necessario includit charitatem I. *Joann.* II. 4. *qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Quare non sufficit dicere, homines fide justificari?

℟. Falsum est, et commentum *Novatorum*, fidem necessario includere charitatem. Nam in peccatoribus est fides sine charitate. Ideo Joannes ait mendacem esse eum, *qui dicit, se nosse Deum, et mandata ejus non custodit*; quia, cum ejus fides non sit actuosa, et *practica*, verbis Deum confitetur, factis autem negat.

§. II.

§. II.

NATURA JUSTIFICATIONIS.

Q. In quo sita est justificationis natura?

℟. *Novatores* contendunt justificationem sitam esse in extrinseco Dei favore non imputantis peccata, quae non delentur, sed teguntur justitia Christi veluti quadam veste per fidem apprehensta, et applicat. Sed dogma fidei est, animam interius renovari per charitatis diffusionem in ea, et peccata vere deleri, et destrui, ita ut in anima non sint, sed tantum ibi permanenter inhabitet gratia Spiritus Sancti. Nam 1. peccatores dicuntur in justificatione *renasci Joan* III. 5. *renovari spiritu*, et fieri *nive condidiores*. *Psal.* 50. *Ezech.* XXXVI. 26. non solum *nominari*, sed *esse filii Dei*; *Joan.* III. quae omnia quo pacto intelligi possunt sine interiori animae renovatione? 2. Chrysostomus *Homil.* I. *in Epist. ad Ephes.* ait, quod *Deus non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles . . . . instruxit, et ornavit animam pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem; cupiunt enim angeli talem aspicere animam*. Idem docent alii Patres. 3. Si justificatio fieret per externam imputationem justitiae Christi per fidem apprehensæ, quomodo justificarentur parvuli in baptismo, qui *actus fidei* non sunt capaces? Merito igitur *Concilium Tridentinum sess.* VI. *can.* 2. definivit: *Si quis dixerit homi-*

nis

nas justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhaereat, aut gratiam, qua justificamur esse extrinsecum Dei favorem, anathema sit.

Q. David *Psal.* XXXI. inquit: *Beati quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Quare justificatio non dicitur fieri per extrinsecum favorem, ita, ut Deus peccata tegat per justitiam Christi, et non imputet?

℟. Peccata non dicuntur tegi in justificatione, quasi ibi *sint*, *et vivant*, ut ait Augustinus *Enarrat. in Psal.* XXXI.; sed quia vere delentur ex anima. Cui enim ea peccata tegerentur? non Deo, cujus *oculis omnia nuda sunt*, *et aperta*; tecta vero oculis hominum faciunt hypocritam, non beatum. Igitur ut homo vere beatus sit, deleri debent peccata sua. Quod fieri per justificationem ostendit idem David dicens, *Psal.* L. *Lavabis me*, *et super nivem dealbabor*.

Q. Si justificatio non fiat per imputationem justitiæ Christi, quo pacto Apostolus I. *Cor.* I. 30. dicit de Christo: *qui factus est nobis sapientia a Deo*, *justitia*, *et sanctificatio?*

℟. Christus in laudato loco dicitur factus nobis *justitia*, *et sanctificatio*, quia est caussa *efficiens*, et *meritoria* nostræ justistiæ, et sanctificationis, non vero caussa *formalis*;

alioquin quemadmodum diceremur justi, et sancti justitia, et sanctificatione Christi, possemus dici sapientes sapientia Christi; quo quid insulsius?

Q. Apostolus *Gal.* III. 27. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis*. Quare justitia Christi non dicitur esse quaedam vestis per fidem apprehensa, qua nostra peccata teguntur?

℟. Apostolus utitur metaphora indumenti, ut significet, eos, qui baptizati sunt, debere in suis actibus exterioribus Christum repræsentare.

§. III.

PROPRIETATES JUSTIFICATIONIS.

Q. Quænam sunt proprietates justificationis?

℟. 1. Homo quamvis justificatus sit, tamen non potest certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, id certo scire. *Proverb.* XX. 9. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Et Apostolus vas electionis dicebat de seipso I. *Cor.* IV. 4 *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. In quæ verba scripsit Hieronymus *lib. cont. Pelag. Qui hoc dicebat, nullius utique peccati conscius erat, sed quia legerat: delicta quis intelligit? idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset*. Dixi: *non potest certo scire*; nam ex quadam conjectura, et cer-

certitudine *morali* potest quis cognoscere in se ipso habitare Spiritum Sanctum per gratiam suam; inquit enim Augustinus *serm.* CLV. *al.* XI. *de verb. Apost. Ecce adjuvante ipsius misericordia spiritum Christi habemus: ex ipsa dilectione justitiae, integra fide, spiritum Dei nobis inesse cognoscimus.* 2. Homo justificatus potest justitiam amittere non solum infidelitate, sed quocumque peccato mortali. *Ezech.* XXXIII. 18. *Cum recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitatem, morietur in eis.* Et revera nonne erant justi Adam, David, Salomon, Petrus? et tamen Scriptura testatur, eos aliquando a justitia recessisse. Hinc Concilium Tridentinum *sess.* VI. *can.* 23. definivit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere . . . anathema sit.* 3. Homo justificatus potest in justitia crescere, nec in omnibus justis aequalis est gratia sanctificans. II. *Cor.* IX. 10. *Augebit Deus incrementa frugum justitiae vestrae.* Et *Apocal.* XXII. 2. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Unde Hieronymus *lib.* II. *cont. Jovin. Quare*, inquit, *dicunt Apostoli: adauge nobis fidem si omnium mensura una est?* Et Augustinus *Epist.* CLXXXVIII *al.* LVII. *Unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores nisi abundantius habendo habitatorem Deum?* Denique Concilium Tridentinum *sess.* VI. *can.* 23. definivit: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non augeri coram Deo per bona opera . . . . anathema sit.*

 Q. Si

Q. Si justitia semel accepta amitti potest, quomodo stabit illa sententia I. *Joan.* III. 9. *Qui natus est ex Deo non potest peccare?*

℟. Qui natus est ex Deo, h. e. justus, dicitur peccare non posse; vel quia quamdiu justus est, non possunt in eo esse simul peccatum, et gratia sanctificans; vel quia, quatenus justus est, h. e. agit ex charitate, non potest peccare; charitas enim non est caussa peccati, sed illius caussa cupiditas est.

CAP.

CAP. XII.

De virtutibus infusis; de donis Spiritus Sancti; et de merito bonorum operum.

§. I.

Virtutes infusæ.

Q. Quid est virtus?

℞. Est *habitus bonum faciens habentem se, et actum ejus bonum*; ex Aristotele.

Q. Quotuplex est virtus?

℞. 1. Alia virtus est naturalis, alia supernaturalis. Virtus naturalis est, quæ naturalibus actibus acquiri potest, licet aliquando per *accidens* a Deo infundatur. Supernaturalis, quae a solo Deo infunditur. 2. Aliæ virtutes sunt *Theologicae*, aliae *morales*. Virtutes *Theologicae* sunt quæ habent pro objecto Deum, et aliquod ejus attributum pro fine, sive *motivo*; quales sunt *fides, spes*, et *charitas*. Virtutes *morales* sunt quae circa bonum creatum versantur, ex motivo supernaturali, quarum quatuor dicuntur *cardinales*, quia sunt veluti cardines aliarum virtutum, nempe *prudentia*, *justitia*, *fortitudo*, et *temperantia*.

Q. Infunduntur ne recensitæ virtutes in justificatione?

℞. 1. Certissimum est, in justificatione infundi virtutes *Theologicas*, nempe *fidem*, *spem*, et *charitatem*. Sic Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* 7. *In justificatione haec omnia simul accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem*. 2. Probabilius est, in justificatione infundi etiam virtutes *morales*. Probatur ex Catechismo Romano, cujus est magna auctoritas, qui *Part.* II. *de Bapt.* §. 51. sic ait: *Huic autem gratiae additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divina infunduntur.*

Q. Si verum est, in justificatione virtutes *morales* infundi, cur justificati non exerunt actus earum virtutum promte, et cum delectatione?

℞. 1. Falsum est, omnes justificatos non exercere promte, et cum delectatione actus virtutum *moralium*. 2. Non possumus scire omnimoda certitudine, quinam sint vere justificati. 3. Si qui vere justificati sunt, et non promte, et cum delectatione exerunt actus virtutum *moralium*, totum impedimentum est in inferioribus potentiis animæ ortum ex contrariis habitibus, qui paulatim minuendi sunt, per contrarios virtutum actus, donec penitus destruantur.

§. II.

§. II.

Dona Spiritus Sancti.

Q. Quid sunt dona Spiritus Sancti?

℞. Sunt *habitus* supernataralcs, quibus homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritus Sancti motiones. Controvertitur in scholis, utrum sint habitus distincti a virtutibus, an actus eximii ipsarum virtutum. Sed communiter post S. *Thomam* 2. 2. q. VI *art.* 8. sentiunt Theologi esse habitus distinctos. Negant *Scotus*, aliique.

Q. Infunduntarne in justificatione etiam dona Spiritus Sancti?

℞. Probabilius est infundi. Nam in justificatione simul cum charitate communicatur ineffabili modo ipsa persona Spiritus Sancti. Ergo debet justificatus disponi ad accipiendas quaslibet Spiritus Sancti motiones.

§. III.

MERITUM BONORUM OPERUM.

Q. Daturne meritum bonorum operum?

℟. *Novatores*, qui juxta basim ipsorum systematis statuunt concupiscentiam esse peccatum, eamque omnia opera hominis inficere, negant omnino meritum. Sed dogma fidei est, dari meritum bonorum operum. Nam I. ubi est *merces*, ibi cognoscendum est meritum. At vita æterna dicitur in Scripturis dari bonis operibus, ut *merces*. *Matth.* V. 12. *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis*; et sic alibi sœpius. 2. Chrysostomus *Hom.* IV. *de Lazaro* ait: *si justus est Deus, et illis reddet pro meritis, id est bonis, et malis*. Et Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 15. *Nonne evidens est, meritorum aut prœmia, aut supplicia manere post mortem?* 3. Igitur recte Concilium Tridentinum *Sess. VI. can.* 32. sic definivit: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati* merita. . . . . *anathema sit*.

Q. Si bonis operibus inest meritum, cur ait Isaias *Is.* LXIV. 6. *facti sumus, ut immundi omnes nos?*

℟. Propheta loquitur de universa Hierosolymorum civitate, cujus maxima pars erat impiorum h. e. cæremonias, et sacrificia vel non servabant, vel servabant perverso corde,

de, ac proinde peccabant. Porro nos dicimus bonis operibus, non vero malis inesse meritum.

Q. Quotuplex est meritum?

R. Duplex vel de *condigno*, vel de *congruo*. Ad meritum *de condigno* requiruntur sex conditiones 1. ut opus sit bonum ex objecto, ex fine proximo, et ex fine ultimo, 2. Ut sit liberum. 3. Ut fiat ab homine *viatore*. 4. Ut fiat ab homine justo. 5. Ut sit supernaturale. 6. ut adjunctam habeat Dei promissionem. Omne aliud opus cui desunt status justitiæ, et divina promissio, sed non reliquæ recensitæ conditiones, dicitur mereri de *congruo*.

CAP. XIII.

De praedestinationis acceptione; definitione; existentia; divisione; caussis; et effectibus.

§ I.

Acceptio et definitio praedestinationis.

Q. Quid significat prædestinatio?

℟. Prædestinationis nomen ex duabus constat vocibus, nempe ex præpositione *prae*, et ex nomine *destinatio*. Prior denotat antecessum temporis, aut dignitatis. Posterior vel significat *transmissionem*. orta a verbo *destinare*, quod ex S. *Thoma* idem est, ac transmittere, ut sagitta arcu emissa dicitur ad scopum destinata; vel significat propositum, quia ex S. Augustino *destinare* idem sonat, ac proponere in animo, statuere, decernere.

Q. Quomodo definitur prædestinatio?

℟. S. Thomas, qui vult verbum *destinare*, transmissionem indicare, definit prædestinationem, I. P. *q.* XXIII. *art.* 1. *Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae*. Augustinus vero, cui verbus *destinare* idem est, ac proponere, eam definit: *Praescientia, et praeparatio benefi-*

cio-

ciorum, *quibus certissime liberantur*, *quicumque liberantur*. Dicitur 1. *praescientia*, quo nomine non venit scientia *media* Molinistarum, quæ in *Tractatu de Deo* rejecta est, nec scientia *simplicis intelligentiae*, quia haec est de rebus mere possibilibus, sed scientia *visionis*, quae est de rebus futuris. Dicitur 2. *praeparatio*, ut significetur praedestinationem esse eorum, quæ ipse Deus in tempore facturus est: *praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus*, ait Augustinus *lib. de praedest. sanct. cap.* 10. Dicitur 3. *Beneficiorum*, *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*; ut distinguatur prædestinatio propria hujusce status a prædestinatione Angelorum, qui nunquam fuerunt in malis, a quibus essent liberandi; et beneficia non solum complectantur gratiam, quæ imperfecte, sed etiam gloriam, quae perfecte a quacumque miseria creaturas rationales liberabit.

Q. Suntne rectae recitatæ definitiones?

℟. Utraque recta est. Sed illa Augustini veriores habet definitionis characteres. Nam ea verba *praescientia*, *et praeparatio beneficiorum* sunt *genus*, in quo praedestinatio hujus status convenit cum providentia naturali, et praedestinatione Angelorum; reliqua verba, *quibus certissime liberantur quicumque liberantur* sonant *differentiam* praedestinationis hujus status, tum a providentia naturali, tum ab Angelorum praedestinatione.

§. II.

EXISTENTIA, ET DIVISIO PRÆDESTINATIONIS.

Q. Existitne praedestinatio?

℟. Dogma fidei est, esse in Deo praedestinationis decretum. Nam 1. Christus in extremo judicio dabit electis regnum ipsis paratum, h. e. praedestinatum, *Matth.* XXV 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi.* Et Apostolus utitur ipso verbo *praedestinare. Rom.* III. 29. *Quos praescivit, et praedestinavit, hos et vocavit.* 2. Augustinus *lib. de don. persever. cap.* 21. *Nimiae contentionis est, praedestinationi contradicere, vel de praedestinatione dubitare.* Similia habent *Prosper*, *Fulgentius*, aliique contra Semipelagianos. 3. Quidquid Deus operatur in tempore, prædestinavit ab aeterno.

Q. Quomodo dividitur praedestinatio?

℟. Dividitur 1. ratione *subjecti* in praedestinationem Angelorum, et hominum in statu naturae lapsae. 2. in praedestinationem *adaequatam*, quae complectitur gratiam simul, et gloriam, et *inadaequatam* quae spectat vel solam gratiam, vel solam gloriam. 3. In praedestinationem in *intentione* et in *executione*; nam in *intentione* primum cogitatur finis, deinde eliguntur, et com-

comparantur media, denique ad finem pervenitur; ac proinde finis est primus in *intentione*, et ultimus in *executione*.

§. III.

Caussa prædestinationis.

Q. Quaenam sunt caussae prædestinationis?

℞. Certum est, 1. caussam *efficientem* prædestinationis esse ipsum Deum. 2. Caussam *finalem* esse gloriam Dei, *Proverb.* XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. 3. caussam *meritoriam* extra ipsum prædestinatum esse Christi merita. *Eph.* I. 5. *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*. 4. Caussam *meritoriam* prædestinati in *executione* esse merita ipsius prædestinati, *Matth.* XXI. 34. *Venite benedicti .... possidete paratum regnum .... esurivi enim, et dedistis mihi manducare*. 5. Caussam *meritoriam* prædestinationis ad gratiam in *intentione* nullam esse in hominibus; quod definitum est contra *Pelagianos*. 6. Caussam prædestinationis *adaequatae* non esse in hominibus, quod passim definitum est contra *Pelagianos*. Restat quæstio utrum caussa prædestinationis *inadaequatae* ad gloriam sint merita hominum ab æterno a Deo prævisa; an decretum prædestinationis ante prævisa merita sit caussa istorum meritorum,

congruentior est Scripturæ, Sanctis Patribus, et rationi Theologicæ, ideoque ipsa tenenda est, et *Molinistarum* sententia explodenda. Nam 1. quoties Scriptura de bonis operibus electorum, et de eorum perseverantia loquitur, ea repetit a praedestinatione, tanquam a caussa. Sic *Joan*. IX. 27. *Oves meae* h. e. prædestinati, *vocem meam audiunt . . . . et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis*, h. e. in executione, *et non peribunt in aeternum*. Igitur caussa, cur audiunt, sequuntur, perseverant, est, quia sunt *oves*, scilicet prædestinati. Et Apostolus *Eph*. I. 4. *Elegit nos ante ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati*. Igitur ideo homines sunt sancti, et immaculati, quia electi. *Rom*. VIII. 28. *Quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit*. Ergo vocatio, justificatio, et ipsa glorificatio in *executione* sunt effectus prædestinationis ad gloriam in *intentione*. Et alia his similia passim leguntur in sacris litteris. 2 *Augustinum* ipse *Molina* fassus est, esse sibi contrarium, cum mira quadam temeritate ausus est scribere, ea quæ ipse dixerat, *si data, explanataque semper fuissent, ex Augustini opinionibus, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles non fuissent turbati*, *quaest*. XXXIII. *art*. 4 *disp*. I. Patres *Augustino* antiquiores in eadem fuisse sententia patet; nam si *Augustinus* diversa scripsisset, ac proinde ab avita Patrum doctrina descivisset, *Innocentius* I., *Zosimus*, *Bonifa-*

cius,

cius, *Cœlestinus* I., *Sixtus* III non illum eximiis elogiis cumulassent. De Patribus vero *Augustino* posterioribus res est manifesta: *Sufficit* recitare *Bernardum*, qui *serm.* LXXVIII. sic inquit: *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostrae salutis tria esse quaedam, quae sibi vindicat auctor Deus, praevenitque in illis auxiliatores, et cooperatores suos, praedestinationem, creationem, inspirationem*. 3. Ne longiores simus, et laboremus in superfluis, advertendum est, hanc sententiam nostram de prædestinatione in *intentione* ante prævisa merita esse intime colligatam cum doctrina de gratia intrinsecus, et natura sua efficaci. Quod enim Deus in tempore operatur, ab æterno decrevit; si igitur in tempore sine ullis meritis, gratiam efficacem præbet, cujus effectus sunt merita, quibus æterna vita comparatur; hinc sequitur, id ab æterno ante prævisa merita decrevisse; ac propterea Molinistæ utrumque negant; et gratiam scilicet efficacem, et prædestinationem ante prævisa merita. Cum autem invictissimis argumentis ostenderimus, gratiam, qua actu operamur, esse intrinsecus, et natura sua efficacem, sequitur, prædestinationem ad gloriam in *intentione* esse ante prævisa merita.

Q. Recitata Scripurae loca nonne exponi possunt de prædestinatione ad gratiam, quæ utique est ante prævisa merita, quia nullis praecedentibus meritis datur?

℟. Qui vult detorquere Scripturae loca, et

et eis appingere sensum, quem non habent, hic recitatos textus exponit de praedestinatione ad gratiam; ut faciunt *Molinistae* Nam in sensu nativo, et obvio ea loca intelligenda sunt de praedestinatione gratuita ad gloriam, quae est caussa ipsius gratiae, quae praedestinatis confertur.

Q. Vita aeterna dicitur in Scripturis, *merces*, *corona*, *bravium*; quae voces supponunt meritum; cur dicitur praedestinatio esse ante prævisa merita?

℟. Vita aeterna est *merces*, *corona*, *bravium*; sed prædestinatio ad illam est mere gratuita, et ante praevisa merita; h e. Deus *gratis*, et ante merita praevisa statuit ab aeterno nonnullis dare vitam æternam, ab iis tamen nonnisi per merita comparandam, Propterea diximus supra praedestinationem in *executione*, sive ipsae vitæ æternæ largitionem esse ex meritis, praedestinationem vero in *intentione* ante previsa merita.

Q. Nonne hæc doctrina de gratuita praedestione ad desperationem impellit, vel ad socordiam circa salutem aeternam, cum quisque dicere posset: *aut predestinatus sum et salvabor aut non sum praedestinatus et damnabor?*

℟ 1. Id olim opponebant Semipelagiani Augustino; id hodie opponunt nobis Molinistae. 2 Praescientiam Dei nemo negat. Porro ex eo, quod certissime futurum est, quod Deus praescivit, sequiturne praescientiam Dei vel ad desperationem impellere, vel fovere socordiam circa salutem aeternam? 3. Magis sperare debet homo audiens salutem suam

esse

esse in manibus Dei, quam in manibus s liberi arbitrii infirmi. Et cum Deus non salvet *actu* nisi per bona opera, non debe homo esse socors circa salutem aeternam sed loco recitati dilemmatis hoc aliud verissimum substituere, aut *bene vivo et salvus ero aut male, et damnabor*.

§. IV.

EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS

Q. Quot sunt effectus praedestinationis?

℟. Tres recenset Apostolus, nempe *vocationem*, *justificationem*, et *gloriam*, *Rom.* VIII.28. *Quos autem praedestinavit hos et vocavit, et quos vocavit hos et justificavit quos autem justificavit illos et glorificavit.* Ex his *vocatio*, et *justificatio* sunt effectus praedestinationis, si ad gloriam certissime ducunt; hinc in reprobis, qui aliquando vocantur et justificantur effectus predestinationis non sunt. *Glorificatio* actu obtineri non potest sine *perseverantia*.

Q. Missis *vocatione*, *justificatione*, et *glorificatione* de quibus alibi. Quid est *perseverantia?*

℟. Juxta *Augustinum lib.de don.persev.cap.* I.est *donum Dei*, *quo perseveratur usque in finem in Christo*. Dicitur 1.*donum Dei* ut significetur illud esse gratuitum 2.*quo perseveratur*; ut significetur non esse donum, sine quo perseverari non possit, sed *quo* certissime perseveratur. Unde Augustinus *lib.de don.perserv.*

sev., *donum*, inquit, *cum datum fuerit contumaciter amitti non potest*. 3. *usque in finem*, ut significetur exitus vitae. *Hanc perseverantiam*, inquit Augustinus *de don. persev. cap.* 1. *potius habuit unius anni fidelis et quantum infra cogitari potest, si usque ad finem fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit*.

Q. Quotuplex est *perseverantia*?

℞. Duplex distinguitur in Scholis *activa*, et *passiva*. Passiva est specialis Dei providentia, qua justus ex hac vita rapitur, cum est in statu gratiae sanctificantis. Activa est subministratio gratiae efficacis, qua homo omnes tentationes superat, usque ad mortem.

Q. *Perseverantia* estne speciale Dei donum?

℞. Semipelagiani negarunt, *perseverantiam* tam *activam*, quam *passivam* esse speciale Dei donum. *Molinistae*, qui rejiciunt gratiam efficacem intrinsecus, et natura sua, docent solam perseverantiam *passivam* esse speciale Dei donum. Ceteri omnes, qui admittunt gratiam per se efficacem, volunt utramque perseverantiam *activam*, et *passivam* esse speciale Dei donum. Nam 1. De perseverantia *activa* res est manifesta. Nam *Philipp.* I. 6. ait Apostolus: *Qui caepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*. Et 29 *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*. Igitur tam initium salutis, quam finis Deo au-

CAP. XIV.

De reprobationis divisione, et caussa.

§. I.

Divisio reprobationis.

Quomodo dividitur reprobatio?

℞. Dividitur in *negativam*, et *positivam*. legativa juxta quosdam Theologos est me- non electio ad gloriam, juxta alios est :cretum, quo Deus ab æterno statuit ex- udere aliquos a gloria. Positiva, quæ icitur etiam *totalis*, et *adaequata* est effi- ıx, et æternum Dei decretum, quo statuit b æterno pœnam tam damni, nempe pri- ationis gloriæ, quam sensus, nempe ignis :terni nonnullis infligere.

§. II.

§. II.

CAUSSÆ REPROBATIONIS POSITIVÆ.

Q. Quaenam est caussa reprobationis *positivae?*

℟. *Calvinus* post *Zuvinglium* asseruit caussam reprobationis *positivae* esse unicam Dei voluntatem, qui ante peccatorum praescientiam, nonnullos ad aeternam poenam destinavit, et, ut in tempore illud decretum exequatur, impellit illos ad peccata. Sed dogma fidei est, falsam, et impiam esse hanc *Calvini* sententiam de caussa reprobationis *positivae*. Nam 1. Deus ante peccatum nullam creaturam odio habet *Sap.* XI. 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Et *Epist. Jac.* I. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.* 2. Augustinus *lib.* III. *cont. Julian. cap.* 18. *Bonus, inquit, est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est.* Idem docent *Prosper, Tertullianus, Justinus Martyr*, aliique. 3. Concilium Arausicanum II. *can.* 25. ait: *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sint, qui tantum malum crede-*

rent,

rent, *cum omni detestatione illis anathema dicimus*. Et Concilium *Tridentinum sess.* VI. *can.* 6. *Si quis dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut proprium ejus opus sit non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit*. 4. Deus non potest amare injustitiam, et ordinis perturbationem. At injustitia esset, et ordinis perturbatio destinare aliquem pœnae ante praescientiam culpae. Igitur sententia Calvini falsa, et impia est.

Q. *Proverb.* XVI. legitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*. Nonne ergo Deus in ipsa creatione quosdam ad impietatem, et aeternum exitium destinavit?

℟. Deus *Sap.* I. 13. *non laetatur in perditione vivorum; creavit enim, ut essent omnia*. Dicitur operatus impium, quoad ejus substantiam, quae bona est; qui cum proprio vitio impius evadat, Deus illum servat ad diem malum, ut illi infligendo justam pœnam propter peccata sua, justitia divina eluceat, et glorificetur.

Q. Nonne frequenter in Scripturis dicitur Deus mala praecipere, ad peccata impellere, ad scelera corda convertere, et inspirare?

℟. Omnes hujusmodi locutiones in Scripturis debent improprio sensu accipi, quatenus malas hominum cupiditates Deus non fraenat per gratiam suam, et in sceleribus

bus perpetrandis dicuntur impii servire divinae voluntati, non quatenus Deus vult ea scelera, sed quia ab illis sceleribus mala voluntate eorum perpetratis educit bonum, quod intendit; ut *Joseph* exaltationem ex facinore, quo fratres eum vendiderunt, salutem generis humani ex horrendo Judaeorum Deicidio. Denique dicitur Deus hominum corda ad malum convertere, et indurare 1 *permissive*, h. e. subtrahendo gratiam, quo fit, ut corda ad malum convertantur, et indurescant, ut aqua, recedente Sole, et ferrum recedente igne. 2. *occasionaliter*, h. e. ut ait S. Thomas *Lect.* III. *in Epist. ad Rom. Cap.* IX. ex Augustino *lib. de Grat. et lib. arbit. cap.* 21. *In quantum homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, inductivum est ad bonum, sed homo propter suam malitiam perverse eo utitur ad malum*. 3. *indirecte*, quatenus impediendo alia omnia peccata, unum tantum permittit, in quo perpetrando omnis hominis iniquitas colligitur.

§. III.

§. III.

Caussa reprobationis negativæ.

Q. Quænam est caussa reprobationis *negativae*.

℟. Thomistæ contendunt, caussam reprobationis *negativae* esse divinam voluntatem, quæ nonnullis gloriam negat, quia est beneficium ipsis indebitum. Ex hac autem gloriae negatione, negat etiam gratias intrinsecus efficaces, et ex præscientia peccati eos *positive* reprobat. Hæc sententia quamvis longe distat a dogmate impio *Calvini*, qui facit divinam voluntatem, non vero peccati præscientiam, caussam ipsius reprobationis *positivae*; nihilominus *Gonetus*, aliique etiam Thomistæ ab ea recesserunt. Igitur sentimus cum *Augustino* caussam reprobationis *negativae* esse præscientiam peccati, et quidem originalis. Nam 1. *Sap.* I. 18. *Non laetatur Deus in perditione vivorum*. Et Apostolus I. *Tim.* II. 43. *Deus vult omnes homines salvos fieri*. 2. Augustinus *Epist.* CLXXXVI. *al.* CVI. *Haec massa*, inquit, *si esset ita media, uti quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereatur, non frustra videretur iniquitas, si ex ea fierent vasa in contumeliam*. Et ipse Thomas *Quaest.* III. *de verit. art.* 2. *ad* 9. *In ipsa electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis peccatum originale, ut*

dicit Augustinus. 3. Rejectio a gloria est maxima pœna in homine ad vitam æternam ordinato; imo pœna *damni* in inferis major est pœna *sensus*. Si igitur Deus non decrevit pœnam *sensus* ante præscientiam peccati, multo minus pœnam *damni*. Dixi: *Et quidem peccati originalis*; quia peccatum originale propter concupiscentiam, qua universum genus humanum infecit, est caussa cur ii, quibus auxilia *efficacia* non præbentur, non perveniant ad æternam beatitudinem, licet per auxilia *sufficientia* possent pervenire, ideoque peccatum originale est caussa, cur ii, qui auxiliis sufficientibus tantum adjuvantur, a gloria intelligantur exclusi.

Q. Peccatum originale in multis reprobis dimissum est per baptismum quo modo dicitur esse in iis caussa reprobationis *negativae*?

℟. In hujusmodi reprobis, qui jam baptizati sunt, dimissum est peccatum originale quoad culpam, et pœnam æternam. Sed in iis remanent *pœnalitates*, sive reliquiæ infirmitatis per peccatum *originale* inductæ, ut mors, morbi, calamitates, concupiscentia, et ignorantia. Ex quibus fit, ut auxilia *sufficientia* culpa ipsorum reproborum careant effectu suo, ac proinde reprobi, quibus Deus auxilia *sufficientia* tantum decrevit in ordine ad vitam æternam, non perveniant ad beatitudinem, atque ex ea intelligantur exclusi, quæ est reprobatio

ne-

negativa. In iis igitur peccatum originale non est caussa *proxima* reprobationis *negativae*, quia jam dimissum est, sed est procul dubio caussa saltem *remota*.

FINIS.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS
PARS PRIMA
De Sacramentis in genere.

CAP I.

De Sacramenti multiplici acceptione, definitione, et proprietatibus.

§. I.

Multiplex nominis Sacramenti acceptio.

Q. Quid significat nomen *Sacramenti?*

R. 1. Speciatim apud primos Latinos significabat pecuniam, quae a litigantibus in loco Sacro, vel apud Pontificem deponebatur, usque ad finem litis; qua finita, qui vincebat, auferebat suam, pecunia vero victi redibat ad ærarium; hinc factum est, ut sacramentum pro caussa, sive controversia ipsa frequenter usurpetur a *Cicerone*. Generatim apud Auctores prophanos sumitur pro juramento, sive militari sive quocumque, juxta illud Horatii: *non ego perfidum dixi Sacramentum*. 2. In Sacris litteris vel est ipsa

ipsa res *arcana*, ut Tob. XII. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*; vel est signum rei *arcanae*, sive impia sit, ut *Apoc.* XVII. 7. *Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiae*; sive sit sacra, ut *Eph.* V. 32. *Sacramentum hoc* (matrimonium) *magnum est; ego autem dico Christo, et in Ecclesia*. 3. Apud Patres, et Theologos usurpatur pro signo mystico rei sacrae, quae instituta est ad sanctificandos homines.

§. II.

Sacramenti apud Catholicos definitio.

Q. Quomodo definitur apud Catholicos *Sacramentum*?

℟. Definitur: *Signum sensibile rei sacrae, divinitus institutum, ad hominum sanctificationem*.

Q. Estne recta haec definitio?

℟. Utique recta est. Nam illa verba: *Signum sensibile rei sacrae* exprimunt *genus*, in quo Sacramentum convenit cum alio signo quocumque rei sacrae h. e. cum signo Crucis, cum serpente aeneo exaltato in deserto etc.; verba vero sequentia: *divinitus institutum ad hominum sanctificationem* denotant *differentiam*, qua Sacramentum a quolibet signo sensibili etiam rei sacrae differt; nullum quippe aliud signum proprie

a Deo institutum est ad homines sanctificandos, praeter Sacramenta.

§. III.

Sacramenti mox definiti proprietates.

Q. Quaenam sunt Sacramenti mox definiti proprietates?

℟. Plures 1. Sacramentum non est signum *naturale*, sed *ad placitum*, et arbitrarium; quia licet, ut ait Augustinus *Epist.* 23. *Sacramenta habent quamdam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta*, ut est similitudo ablutionis corporalis ad ablutionem spiritualem in Baptismo; tamen res corporalis nunquam potest ex natura sua determinate significare rem spiritualem, h. e. gratiam et sanctificationem nostram; tum quia nequit eam producere; tum quia illam significat non ex se ipsa, sed post Dei institutionem. 2. Sacramentum non est signum *Speculativum*, sed *Practicum*; non enim Sacramentum institutum est ad meram repraesentationem rei sacrae, ut imago, aut figura quaedam, sed ut homines illud suscipientes sanctificentur. 3. Sacramentum ex *S. Thoma* 3. *p. q.* LX. *art.* 3. est signum *demonstrativum* gratiae, *rememorativum* passionis Christi, et *praenuntiativum* gloriae. 4. Sacramentum est signum *permanens* usque ad consummationem saeculi; nam ut ait Augustinus *lib.* 19. *cont. Faust. Cap.* 11. *Sacramenta sunt fundamentum stabilis*

Ec-

Ecclesiae, *per quae fideles permanenter colligantur*. Ergo tamdiu durabunt Sacramenta, quamdiu permanebit Ecclesia, h. e. usque ad consummationem saeculi. 5. Sacramentum per tria constat, nempe per ritum sensibilem, per institutionem divinam, et per productionem gratiae.

CAP. II.

De Sacramentorum in diversis hominum statibus existentia, et numero.

§. I.

Nulla extiterunt Sacramenta in statu innocentiae.

Q. Extiteruntne Sacramenta in statu *innocentiae*?

℟. Nulla extiterunt Sacramenta in statu *innocentiae*. Nam 1. De iis nullam mentionem neque Scriptura, neque Traditio faciunt; qui sunt fontes veritatum Theologicarum. 2. Non decebat in eo statu hominem subjici signis sensibilibus; neque ad intelligendas res spirituales, quod proprium est *status peccati*, in quo homines non valent intelligere res spirituales, nisi per signa materialia; neque ad accipiendam gratiam, in qua homo utique conditus erat ab initio, et cujus incrementum poterat sine sacramentis

 adi-

adipisci, quemadmodum sine Sacramentis initia acceperat.

Q. Quo pacto confidenter asseritur, nullum fuisse Sacramentum in statu *innocentiae*, cum fuerit Matrimonium inter Adamum, et Hevam?

℟. Matrimonium illud non fuit Sacramentum. Matrimonium enim eatenus est Sacramentum, quatenus est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; at primi parentes in statu innocentiae ignorabant futurum Christum, futuramque Ecclesiam; alioquin praevidissent etiam se futuros peccatores, ob quod Christus fuisset venturus, et Ecclesiam constituturus; proindeque fuissent in illo statu miseri, quod est absurdum. Conjunctio igitur illa, quae instituta fuit, ut necessaria ad propagationem speciei humanae, postea elevata est a Christo ad rationem Sacramenti.

§. II.

§. II.

Extiterunt aliqua Sacramenta in statu legis naturae .

Q. Extiteruntne aliqua Sacramenta in statu legis *naturae ?*

℟. Verosimilius est extitisse. Nam 1. Augustinus *lib.* V.*cont. Julianum cap.*11. ait: *Non est credendum , ante datam circumcisionem , famulos Dei , quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo ejus Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis.* 2. Deus voluntate *antecedenti* vult omnes homines salvos fieri, eaque voluntas in Deo vera est, et sincera . Ergo aequum fuit, in statu legis *naturae* suppeditare hominibus remedia , seu Sacramenta , quibus a peccato originali , et actuali liberarentur , et vitam aeternam possent consequi .

§. III.

IN STATU LEGIS MOSAICAE, PRAETER CIRCUMCISIONEM, ALIA FUERUNT SACRAMENTA IMO PLURA, QUAM IN NOVA LEGE.

Q. Fueruntne Sacramenta in statu legis Mosaicae?

℟. Fuerunt; imo plura, quam in nova lege, praeter Circumcisionem. Nam in eo statu fuisse Sacramenta ponunt ut certum Concilium Florentinum, et Tridentinum, cum definiunt, Sacramenta novae legis differre a Sacramentis veteris legis; illud in *Decreto unionis*; hoc *Sess.* VII. *can.* 7. Quod vero praeter Circumcisionem fuerint plura, quam in nova lege patet ex auctoritate Augustini *lib.* XIX. *cont. Faust. cap.* 13. ubi ait, primis Sacramentis ablatis, in nova lege alia esse instituta *virtute majora*, *utilitate meliora*, *actu faciliora*, *numero pauciora*. Ergo illa priora in statu legis Mosaicae plura fuerunt, quam in nova lege.

§. IV.

§. IV.

Existunt Sacramenta in nova lege, eaque sunt septem.

Q. Existuntne Sacramenta in nova lege?

℟. Existunt; eaque nec plura, nec pauciora sunt, quam septem; estque dogma fidei. Ita enim definivit Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* I. *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Q. Si septem existunt novae legis Sacramenta, cur nonnulli antiqui Patres aut unum, aut alterum tantum commemorant ex. gr. *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*?

℟. Quia illis Patribus non erat constitutum, Sacramentorum novae legis numerum definire; sed pro re nata modo unius, modo alterius mentionem faciebant. Quemadmodum neque hodie aliquis Scriptor negaret septenarium Sacramentorum numerum, si de uno tantum ex. gr. *Eucharistia*, disputationem institueret. Cæterum patebit inferius, veritatem cujusque Sacramenti demonstrari ex veteri Patrum traditione.

Q. In ablutione pedum a Christo Apostolis facta adfuit ritus sensibilis, sive signum externum h. e. ipsa ablutio; non defuit divina institutio, et præceptum, nam ait Christus: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*; fuit etiam collatio gratiæ, Christo dicente Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; cur illa non recensetur inter novæ legis Sacramenta?

℞. Non negamus ablutionem pedum a Christo Apostolis factam quemdam ritum sensibilem fuisse, et signum externum; sed negamus a Christo fuisse institutam, et præceptam, ut Sacramentum, quod adhibitum contulisset gratiam; Christus enim non præcepit ablutionem illam, sed id, quod per eam significabatur, nempe exercitium charitatis, et humilitatis; neque illa verba Petro dicta: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, continent productionem gratiæ, sed minas subtractionis gratiæ, si Petrus Christo pedes ejus abluere volenti obedire renuisset.

CAP.

C A P. III.

De Sacramentorum veteris, et novæ legis differentia, et virtute.

§. I.

Sacramentorum veteris, et novæ legis differentia.

Q. Differuntne Sacramenta veteris, et novæ legis?

℟. De fide est, Sacramenta novæ legis differre a Sacramentis veteris legis non solum ritu externo, sed etiam *virtute*; definivit enim Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *can.* 2. *Si quis dixerit, ea ipsa novae legis Sacramenta a Sacramentis veteris legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus, anathema sit*:

Q. In quo igitur posita est illa differentia?

℟. Theologi Catholici non consentiunt inter se; sed alius alia. Communis tamen est sententia S. *Thomae*, qui 3. p. *q.* LXII. *art.* 6. affirmat, Sacramenta veteris legis in eo differre a Sacramentis novæ legis, quod illa tribuebant gratiam ex *opere operantis*, hæc ex *opere operato*. Idem tradit *Cathechismus* Romanus, et docuit *Eugenius* IV. in *Decreto* pro instructione Armenorum.

Q. Quid

Q Quid est tribuere gratiam ex *opere operantis*, et ex *opere operato*?

℟. Tribuere gratiam ex *opere operantis* est non conferre gratiam virtute ipsius Sacramenti, sed ex fide, et pietate ipsius vel suscipientis, vel ministrantis Sacramentum. Tribuere gratiam ex *opere operato* est conferre gratiam virtute ipsius operis, nempe Sacramenti; dummodo suscipiens sit rite dispositus.

§. II.

SACRAMENTA VETERIS LEGIS TRIBUEBANT GRATIAM EX OPERE OPERANTIS.

Q. Quomodo tribuebant gratiam Sacramenta veteris legis?

℟. Tribuebant gratiam ex *opere operantis*. Nam eam non tribuisse ex *opere operato* h. e. virtute, et efficacia ipsius operis, nempe Sacramenti, testis est Apostolus, qui in Epistolis ad Hebræos, et ad Galatas frequenter appellat ea Sacramenta *infirma*, *vacua*, et *egena* elementa, quæ reprobata sunt propter *infirmitatem*, et *inutilitatem* eorum. Quod et Patres *Basilius*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, aliique constanter confessi sunt. Igitur si quam gratiam conferebant, eam tribuebant ex *opere operantis*; erant enim actus religiosi, qui fide, et charitate peracti grati Deo erant, et gratiam merebantur. Unde Apostolus *Hebr.* XI. ait de Abel: *fide plurimam hostiam Abel*, *quam*

Cain

Cain , *obtulit Deo* , *per quam testimonium consecutus est* , *esse justus* .

Q. Quare ex hac generali doctrina saltem non excipitur *Circumcisio* , quam præsertim Augustinus docuit institutam esse ad delendum peccatum originale ex *opere operato* ?

℟. Circumcisio non delebat peccatum originale, nec tribuebat gratiam ex *opere operato* h. e. virtute , et efficacia ipsius circumcisionis ; cum Apostolus aperte dicat I. *Cor.* VII. 19. *Circumcisio nihil est* . Data enim fuit praecipue , et primario , ut Filii Abraham distinguerentur a Gentibus . Delebat vero peccatum originale , et tribuebat gratiam ex fide ipsius circumcidentis , sive ex *opere operantis* . Augustinus autem totus in eo , ut adversus Pelagianos demonstraret existentiam peccati originalis ex remedio circumcisionis , non fuit sollicitus definire utrum ex *opere operantis* , an ex *opere operato* peccatum originale deleret , et gratiam tribueret . Ceterum licet dicamus cum S. Bonaventura , Estio , Iraeneo etc. circumcisionem delevisse peccatum originale ex *opere operato* , non inde sequitur , sacramenta veteris legis ex *opere operato* gratiam contulisse ; cum circumcisio non ex lege Mosaica , sed ex Patriarchis Moyse antiquioribus tradita sit, ut ait Christus Dominus *Joan.* VII. 22.

§ III.

§. III.

SACRAMENTA NOVÆ LEGIS TRIBUUNT GRATIAM EX OPERE OPERATO.

Q. Quomodo tribuunt gratiam Sacramenta novae legis?

℟. Tribuunt gratiam ex *opere operato*. Nam 1. Scriptura Sacra agnoscit in ipsis Sacramentis efficaciam, et virtutem delendi peccata, et tribuendi Spiritum S. et gratiam, et vitam aeternam. Sic ait de Baptismo *Act.* II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. De Confirmatione *Act.* VIII. 17. *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*. De Eucharista *Joan.* VI. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam*. De Pœnitentia *Joan.* XX. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. De extrema Unctione *Jac.* V. 15. *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei*. De Ordine I. *Tim.* IV. 14 *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum praesbyterii*. De Matrimonio *Eph.* V. 32. *Sacramentum hoc magnum est*. 2. Patres idem constanter docuerunt, cum statuentes comparationem inter Sacramenta veteris legis, et Sacramenta novæ legis dixerunt ista illis ante-

tecellere, quantum *rei veritas somniis*, *et umbris*; ista *dare salutem*, illa *promisisse Salvatorem*. Si igitur Sacramenta veteris legis tribuebant gratiam ex *opere operantis*, dicendum, est sacramenta novæ legis conferre gratiam ex *opere operato*. 3. Denique Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* 8. ita definivit: *Si quis dixerit per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam* . . . . . *anathema sit*.

Q. Si Sacramenta novae legis producunt gratiam ex *opere operato*, quare Apostolus tribuit justificationem fidei in iis verbis *Rom.* III 8. *Arbitramur, homines justificari per fidem sine operibus?*

℟ Apostolus tribuit justificationem fidei, non ut caussæ *efficienti* ipsius justificationis; alioquin infantes, qui non sunt capaces actus fidei, non justificarentur in Baptismo. Igitur fides, nec sola, sed cum charitate conjuncta, in adultis est dispositio ad accipiendum Sacramentum, quod homini sic disposito tribuit gratiam ex *opere operato*.

Q. Si Sacramenta producunt gratiam *ex opere operato*; quare requirunt dispositiones in subjecto?

℟ Si caussae naturales: quae agunt vi, et efficacia propria, requirunt dispositiones in subjecto, ut effectum producant suum, sicut ignis requirit ariditatem in ligno, ut illud comburat; multo magis Sacramenta, quae sunt caussae morales, et supernaturales postulant dispositiones in subjecto, ut gratiam illi tribuant; alioquin dicendum esset,

Sa-

Sacramenta conferre gratiam homini objicem opponenti, quod est absurdum.

Q. Si Sacramenta conferunt gratiam ex *opere operato*, cur ea Patres appellant *signa*, *sigilla*?

℟. Sacramenta sunt *signa practica*, non vero mere *speculativa*, h. e. id, quod significant, nempe gratiam, revera conferunt. Et hoc sensu Patres appellaverunt ea *signa*, *sigilla*, vel alio simili vocabulo.

Q. Quid igitur docuerunt Protestantes circa virtutem, et efficaciam Sacramentorum novae legis?

℟. Cum praecipuus Protestantium error fuerit, hominem justificari sola fide, qua firmiter credit sibi remitti peccata, sive non imputari, docuerunt Sacramenta ad id tantum valere, nempe ad eam fidem excitandam; unde asserebant, verba, quibus Sacramenta conficiuntur, esse tantum *concionatoria*, non vero *consecratoria*. Eos anathemate perculit Concilium Tridentinum.

§ IV.

§. IV.

Exponitur natura gratiæ , quam producunt Sacramenta .

Q. Quam gratiam producunt Sacramenta ?

℟. 1. Producunt gratiam habitualem , sive sanctificantem . 2. Baptismus , et Pœnitentia , quae instituta sunt ad remissionem peccatorum , producunt primam gratiam ; unde dici solent Sacramenta *Mortuorum* , quatenus anima in peccatis mortua per infusionem gratiae habitualis , sive sanctificantis reviviscit ; reliqua Sacramenta conferunt secundam gratiam ; unde appellantur Sacramenta *Vivorum* , quatenus augent eam gratiam , qua jam anima ornata est , et vivit . 3 Omnia Sacramenta praeter gratiam habitualem , sive sanctificantem tribuunt quamdam peculiarem gratiam , quae dicitur *Sacramentalis* , quae est jus quoddam fundatum in gratia habituali , et fidelitate Dei , accipiendi tempore opportuno auxilia actualia , quibus homo possit consequi eum finem , ad quem institutum est Sacramentum. Amissa per peccatum gratia habituali , seu sanctificante , amittitur etiam gratia *Sacramentalis* .

§. V.

§. V.

Baptismus. Confirmatio, et Ordo producunt Characterem in anima.

Q. Quid est Character?

℟. Variae sunt circa naturam Characteris Theologorum sententiae. Nos quaestiones Scholasticas declinantes, et de ipsius tantum existentia contra Haereticos solliciti, satis putamus, si characterem dicamus esse quoddam signum spirituale animae impressum, quod nunquam delebitur; et cujus duo sunt effectus, nempe distinguere hominem a quocumque alio, qui non sit eo insignitus, et hominem ad nonnulla, quae ad divinum cultum pertinent, idoneum reddere

Q. Quaenam sunt illa Sacramenta, per quae imprimitur character?

℟. Tria nempe Baptismus, Confirmatio, et Ordo.

Q. Estne certum, per Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimi characterem in anima?

℟. Certum est; imo ut dogma fidei definitum in Concilio Tridentino, quod *Sess.* VII. *can.* 9. ita statuit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Q. Quo fundamento innixum Concilium Tri-

Tridentinum definivit, per tria recensita Sacramenta imprimi characterem in anima?

R. 1. Dari hujusmodi characterem colligitur ex Scriptura; nam Apostolus II. *Cor.* II. 22. ait: *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Et *Eph.* I. 13. *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*. 2. Perpetua Patrum traditio ut certum ponit, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem characterem imprimere in anima, ideoque *iterari* non posse. Sufficiat pro omnibus Augustinus, qui *lib.* II. *cont. Parmen. Cap.* 19. loquens de Baptismo, et Ordine ait: *Quamdam consecrationem utrumque homini dat, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare*. Et de Confirmatione *lib.* II. *cont. Liter. Petilian. Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et Baptismus*. Igitur asserit per tria Sacramenta Baptismum, Confirmationem, et Ordinem dari quamdam *Consecrationem*, quam *Epist.* XCVIII. *al.* XXII. *ad Bonif.* expresse vocat *Characterem*: *quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem Dominicum Characterem*: sed quia est indelebilis, subjungit, talem haereticum *non esse iterum consecrandum*.

Q. Si Baptismus characterem imprimeret in anima, iterari non posset. Quare Cyprianus, aliique Africae, et Asiae Episcopi

III saeculo repetebant Baptismum ab Haereticis collatum ?

℟. Non repetebant, quia putarent Baptismum nullum imprimere characterem in anima, ac proinde iterari posse; sed quia falso existimabant, Baptismum illum, ut pote ab hominibus fide destitutis collatum, *invalide* fuisse ministratum ?

Q. Nonne Theologi plurimas miscent quaestiones de Charactere Sacramentali ?

℟. Omnes eorum quaestiones versantur circa naturam, non vero existentiam characteris, ut ex ipsorum lectione constat. Universi tamen consentiunt, per illa tria Sacramenta Baptismum, Confirmationem, et Ordinem Characterem indelebilem in anima imprimi.

CAP.

C A P. IV.

De materia, et forma Sacramentorum; quaeque in iis contingere possunt mutationes.

Materia, et forma Sacramentorum.

Q. Quid est *materia*, quidque *forma* Sacramentorum?

R. *Materia* Sacramentorum est res, vel actus sensibilis, qui adhibetur ad perficiendum Sacramentum; *forma* sunt ea verba, quae profert Minister, dum materia adhibetur. Sic in Baptismo aqua est *materia*; et verba: *Ego te baptizo* et cet. sunt *forma*. Advertendum *materiam* duplicem esse aliam *remotam*, aliam *proximam*; *remota* est ipsa res, actusque sensibilis.; *proxima* est rei, actusque sensibilis applicatio.

Q. Danturne in singulis novae legis Sacramentis *materia*, et *forma*?

R. Dantur. Et patet 1. ex auctoritate Eugenii IV. in *Decreto* ubi ait: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*. Quod et dixerat Augustinus *Tract.* LXXX. *in Joan. Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum*. 2. Patet

et excurrendo per singula novae legis Sacramenta.

§. II.

MATERIÆ, ET FORMÆ SACRAMENTORUM MUTATIONES.

Q. Quaenam mutationes contingere possunt in *materia*, et *forma* Sacramentorum?

℟. Mutationes aliae sunt *substantiales*, aliae *accidentales*. Mutationes *substantiales* dicuntur illae, quae destruunt naturam materiae, et substantiam formae, ideoque reddunt irrita Sacramenta. Mutationes *accidentales* sunt illae, quae non destruunt naturam materiae, aut tollunt sensum formae, ac proinde non reddunt irrita Sacramenta.

Q. Quibus modis fieri possunt mutationes *substantiales* in forma?

℟. Sex modis. 1. Per *detractionem*; ut si quis a forma Baptismi detraheret verbum *Baptizo*, aut pronomen *Te*, aut verba *In nomine*, aut aliquam ex personis divinis. 2. Per *additionem*; ut si quis errando cum Arianis adderet formae Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris*, et *Filii minoris*; *etc*. 3. Per *mutationem*; ut si quis diceret cum Valentinianis: *Ego te baptizo in nomine ignoti omnium Patris*, *in veritate omnium Matre*, *et in eo*, *qui descendit in Jesum*. 4. Per *transpositionem*; ut si quis proferret: *Ego Patris te baptizo in nomine*, *Filii*, *etc*. 5. Per *corruptionem*, ut si

si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Matris*, *etc*. 5. Per *interruptionem* ; ut si quis prolatis iis verbis : *Ego te baptizo* , recitaret Psalmum ; deinde reliqua verba formae proferret . Exempla , quae allata sunt pro forma Baptismi in omnibus aliis Sacramentorum formis locum habent .

Q. Quibus modis fieri possunt mutationes *substantiales* in materia ?

℟. Duobus modis . 1. Cum non adhibetur ea materia, quae est propria Sacramentorum; ut si quis in Baptismo pro aqua adhiberet vinum . 2. Cum materia propria Sacramentorum adhibetur , sed ita mutatur , ut non remaneat ipsa materiae propriae natura ; ut si quis aquae in Baptismo misceret aliquem liquorem , qui mutaret naturam aquae .

Q. Quale est peccatum mutare materiam, aut formem Sactamentorum ;

℟. Qui mutat *substantialiter* materiam , aut formam Sacramentorum graviter peccat, illudque peccatum est Sacrilegium , quod reddit irritum Sacramentum . Qui vero muttat *accidentaliter* , peccat leviter , vel graviter pro levitate , vel gravitate materiae , contemptu , aut scandalo . Formae enim , et materiae Sacramentorum a Christo institutae sunt .

Q. Licetne aliquando uti materia dubia in administratione Sacramentorum ?

℟. In administratione Sacramentorum , quae sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem , ut sunt Baptismus , et Pœnitentia in

casu extremae necessitatis licet uti materia dubia, quia tunc valet vulgare illud: *Sacramenta propter homines, non homines propter Sacramenta*. Unde infans jam jam moriturus, deficiente aqua, baptizari potest aliquo liquore, de quo dubitari potest, an sit aqua. In administratione vero aliorum Sacramentorum, quae non sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem, non licet uti materia dubia.

CAP. V.

DE AUCTORE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

§. I.

CHRISTUS EST AUCTOR SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

Q. QUis est auctor Sacramentorum novae legis?

R. Est Christus, juxta illud Ambrosii *lib. IV. de Sacram. Cap. 4. Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* in quo omnes *Patres* nemine excepto, consentiunt. Unde Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* 1. definivit: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Christo Iesu Domino nostro instituta, anathema sit*. Abstinuit vero a definiendo utrum im-

immediate an *mediate* instituta fuerint a Christo, ne se misceret quaestionibus Theologorum, qui circa hanc rem non conveniunt inter se, sed satis ipsi fuit damnare contumacium Protestantium errorem.

Q. Si Christus est auctor Sacramentorum, ideoque Sacramenta sunt divinae institutionis; quo pacto Ecclesia aliquando mutavit Sacramentorum materiam ex. gr. declarando in Concilio Tridentino irrita matrimonia clandestina, quae antea erant rata?

℟. Ecclesia nunquam mutavit materiam Sacramentorum, nec declarando irritum matrimonium clandestinum, quod antea erat ratum, materiam ejus immutavit; nam tum ante, tum post Concilium Tridentinum matrimonii materia est contractus licitus, et ratus; sed statuit duntaxat Concilium *sess.* XXIV. *cap.* 1. ut nisi contractus ille fieret *praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus*, non esset licitus, et ratus, ideoque esset materia inepta Sacramento matrimonii. Quemadmodum si quis vinum corrumperet, ac proinde redderet materiam ineptam Sacramento Eucharistiae, non inde diceretur materiam Eucharistiae immutasse.

§. II.

RATIO, QUA CHRISTUS DETERMINAVIT MATERIAM, ET FORMAM SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.

Q. Qua ratione Christus determinavit *materiam*, et *formam* Sacramentorum novae legis?

℟. 1. De fide est, Christum determinasse in *genere*, *materiam*, et *formam* Sacramentorum h. e. voluisse, ut Sacramenta constarent ex materia, et forma; alioquin quo pacto de fide esset, ipsum instituisse omnia Sacramenta novae legis? Unum, idemque est instituere, et determinare in *genere*. 2. De fide est, Christum determinasse in *specie* materiam, et formam Baptismi, et Eucharistiae, h. e. statuisse, ut adhiberetur aqua in Baptismo pro materia, *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*; et verba: *Ego te baptizo* etc. pro forma, *Matth.* XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: item panis, et vinum pro materia Eucharistiae: *Accepit panem: accepit Calicem*; et verba: *hoc est* etc. *hic est* etc. pro forma; nam consecrando panem dixit: *hoc est corpus meum*, et consecrando vinum protulit: *hic est sanguis meus*. 3. Verosimilius est, Christum determinasse in *specie* materiam, et

et formam omnium Sacramentorum h. e. determinasse ut haec, et non alia species formae, haec, et non alia species materiae ad Sacramenta perficienda adhiberetur. Nam si Christus non instituisset in *specie* materiam, et formam Sacramentorum, fecisset potestatem Apostolis, vel Ecclesiae eas determinandi. At id non innuit neque Scriptura, neque Traditio: imo Concilium Tridentinum *sess.* XXI. *cap.* 2. declarat, Ecclesiam in Sacramentorum dispensatione habere potestatem aliquid statuendi, vel mutandi, *salva tamen eorum substantia*; quod ostendit, substantiam Sacramentorum h. e eorum materiam, et formam esse divinae institutionis, et propterea esse immutabiles.

Q. Si formae Sacramentorum sunt a Christo *in specie* determinatae, proindeque divinae institutionis, cur illae quibus utitur Ecclesia Graeca differunt ab ab iis, quibus utuntur Latini?

℞ Omnis diversitas est quoad verba, non vero quoad sensum. Nos autem, cum arbitramur formas Sacramentorum esse in *specie* a Christo determinatas, opinamur determinatas fuisse quoad sensum, non vero quoad verba; verborum autem determinatio relicta est potestati Ecclesiae.

CAP. V.

DE MINISTRIS SACRAMENTORUM, ET DISPOSITIONIBUS IN IIS AD SACRAMENTA PERFICIENDA REQUISITIS.

§. I.

MINISTRI SACRAMENTORUM.

Q. Quinam sunt Sacramentorum Ministri?

℟. Ordinarii Sacramentorum Ministri sunt soli homines *Viatores*; quia solis hominibus *viatoribus* Christus commisit Sacramentorum administrationem, et dispensationem, ut constat ex Evangelio. Dixi: *ordinarii*; nam quemadmodum Christus non ita alligavit Sacramentis virtutem conferendi gratiam, ut non alio extraordinario modo, sine Sacramentis, effectum Sacramentorum conferre posset; pari modo non ita instituit homines *viatores* ministros Sacramentorum, ut non possit per alios extraordinarios ministros, puta per Angelos, Sacramenta sua hominibus dispensare. Quod et contigisse aliquando testantur Historiae: ut de Sacramento Eucharistiae S. *Agneti* per Angelum ministrato, et de S. *Ampilochio* consecrato *Iconii* Episcopo.

Q. Possuntne omnes homines *Viatores* esse Sacramentorum ministri?

℟. Lu-

℟. Lutherus docuit usum ministerii esse omnibus baptizatis, etiam pueris, et mulieribus concessum. Sed veritas catholica est, neminem esse idoneum Sacramentorum ministrum, excepto Baptismo in casu necessitatis, nisi qui per legitimam ordinationem ad id fuerit deputatus. Excipe etiam Matrimonium in sententia eorum, qui contendunt ipsos contrahentes esse illius ministros.

§. II.

Dispositiones in Ministris ad Sacramenta perficienda requisitæ.

Q. Quaenam dispositiones requiruntur in ministris ad Sacramenta perficienda?

℟. Tres; *fides*; *sanctitas*; et *intentio* faciendi quod facit Ecclesia.

Q. Tres recensitae dispositiones suntne necessariae pari necessitate in ministris ad Sacramenta perficienda?

℟. Minime, Sed *intentio* faciendi, quod facit Ecclesia necessaria est ut Sacramenta *valide* perficiantur h. e. ut Sacramenta valeant; et producant effectum suum in subjecto rite disposito. *Fides* et *sanctitas* requiruntur, ut Sacramenta *licite* ministrentur h. e. ut ministri in iis peragendis non admittant novum scelus, quod est Sacrilegium.

§. III.

DEMONSTRATUR FIDEM, ET SANCTITATEM NON REQUIRI NECESSARIO IN MINISTRIS, UT SACRAMENTA VALIDE MINISTRENTUR.

Q. Quomodo demonstratur, fidem, et sanctitatem non requiri necessario in ministris, ut Sacramenta *valide* ministrentur?

℞. Cyprianus III. sæculo, pluresque Episcopi Asiæ, et Africæ falso existimarunt necessario requiri in ministris *fidem* ad Baptismum *valide* administrandum; unde baptismum ab hæreticis collatum repetebant. Donatistæ IV. sæculo; Waldenses, et Albigenses XII.; Hussitæ, et Wiclefistæ XIV. docuerunt Sacramenta a peccatoribus collata irrita esse; proindeque sanctitatem necessario requiri in ministris ad valorem Sacramentorum. Utrumque exploditur. 1. Dogma fidei est, non requiri necessario *fidem* in ministro, ut Sacramentum Baptismi *valide* perficiat. Nam hanc doctrinam traditam in Conciliis Arelatensi I. Nicaeno I. Laodiceno, Constantinopolitano I. denique Tridentinum hac definitione confirmavit *Sess.* VII. *de Bapt. can.* 4. *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.* Et hæc fuit antiqua Ecclesiæ traditio, ut patet ex illa sententia Stephani Pontificis: *Si*

Si quis a quacumque haeresi venerit nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam. 2. Dogma fidei est, non esse necessariam sanctitatem in ministris, ut Sacramenta *valide* ministrent. Nam præterquamquod *Augustinus*, et *Optatus Milevitanus* ex professo confutarunt contrarium Donatistarum errorem, Ecclesia primo damnavit Donatistas IV. et V. sæculo; deinde Wicleffistas, et Hussitas in Concilio Constantiensi asserentes: *Si Episcopus, aut Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non baptizat*. Denique Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *can.* 12. ita definivit: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo necessaria, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit*. 3. Et re quidem vera *fidem*, et *sanctitatem* non necessario requiri in ministris, ut Sacramenta *valide* ministrentur, h. e. producant effectum suum in subjecto rite disposito, patet ratione theologica. Nam ministri non agunt nomine, et virtute propria, sed Christi, cujus sunt instrumenta. Unde Sacramenta a SS. Patribus comparantur radiis Solis, qui non maculantur sive per pura, sive cœnosa loca transeant; agro, qui sive colatur a colono mundo, sive sordido fructus suos producit.

Q. Vulgare est illud effatum: *nemo dat, quod non habet*. Quomodo ministri hæreti-

tentia primum fuit reprobata a Stephano Papa, deinde sequentibus saeculis proscripta ab universa Ecclesia.

Q. Sacramentum Pœnitentiæ ministraturne *valide* a Sacerdote Hæretico ?

℟. Minime; non ob defectum *fidei*, sed *jurisdictionis*, quæ necessario requiritur ad hujus Sacramenti administrationem, quod patet exemplo proborum, qui nisi hac jurisdictione polleant, Sacramentum Pœnitentiæ non possunt *valide* ministrare. In *articulo*, vel *periculo* mortis omnes Sacerdotes, etiam Hæretici absolutionem *valide* impertiunt, ex Concilio Tridentino *Sess.* XIV. *cap.* 7.

§ IV.

Ostenditur, fidem, et sanctitatem necessario requiri in ministris ut Sacramenta licite administrent.

Q. Fides, et sanctitas requiruntur necessario in ministris, ut Sacramenta *licite* administrent ?

℟. Maxime. Si enim in veteri lege qui immundus attrectabat Sacrificia, quæ erant figuræ, et umbrae futurorum in lege nova, *peribat coram Domino*, *Lev.* XXII. 3. Quanto magis reus erit qui ad sanctiora novæ legis Sacramenta manus extendit immundo corde ? Unde Augustinus *Tract.* V. in *Joan.* inquit: *Ego dico, et omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis mini-*

 stros.

stros. Et Rituale Romanum ait: *Sacerdos si sit sibi peccati mortalis conscius, quod absit, ad Sacramenti administrationem non audeat accedere, quia scilicet impure, et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt*. Et re quidem vera, Sancta, qualia sunt Sacramenta, sancte per tractanda sunt.

Q. Licetne petere Sacramenta a ministris in peccato mortali existentibus?

℟. 1. In casu extremæ necessitatis licet petere Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiae a quolibet ministro, etiam hæretico, excommunicato, suspenso etc. 2. Extra casum extremæ necessitatis licet petere omnia Sacramenta a Parocho, quamvis impio, si alius desit, qui ea ministret; quia adest jus illa postulandi. Extra tamen omnem necessitatem actus charitatis est non petere, ne ille alterius fiat sceleris reus. 3. A quocumque alio ministro impio non licet extra casum extremæ necessitatis, et nisi sit Parochus, Sacramenta petere, ne præbeatur illi nova peccandi occasio.

§. V.

§. V.

Demonstratur necessitas intentionis in ministris, ut Sacramenta valide administrentur.

Q. Quid, et quotuplex est intentio?

R. 1. Intentio est deliberata voluntas aliquid faciendi. 2. Intentio *subjectiva* h. e. prout respicit personam ipsam agentem quatruplex est: nempe *actualis*, *virtualis*, *habitualis*, et *interpretativa*. *Actualis* est, qua agens actu vult id, quod agit. *Virtualis* est, quæ paulo ante præcessit, et durat in effectu. *Habitualis*, quæ longo tempore præcessit, vel per quam fit actio ex quadam agendi facilitate per actus repetitos acquisita. *Interpretativa*, est illa, quae esset si agens ad id quod agit, adverteret. 3. Intentio *objectiva* h. e. prout respicit ipsum opus, quod peragitur, rursus quatruplex esse potest, ut patet in exemplo Sacramenti. Potest enim quis velle Sacramentum, quod peragit vel ut ritum profanum; vel ut rem sacram; vel ut Sacramentum, sed errat circa ejus effectus; vel ut caussam effectuum, quos producere intendit. 4. Solent denique distinguere intentionem in *internam*, et *externam*. Intentio *interna* est, qua quis in mente sua proponit facere, quod facit exterius. Intentio *externa* est qua quis facit serio ritum externum, etiamsi interius non intendat illum peragere.

Q. Quae-

Q. Quænam intentio *subjectiva* requiritur in ministro ad Sacramenta *valide* perficienda?

℞. 1. Intentio *habitualis* non sufficit; quia Sacramentorum administratio est actio humana, sive deliberata; at intentio habitualis non facit actionem *humanam*, sive deliberatam, cum illa sit etiam in dormientibus, et ebriis. 2. Nec intentio *interpretativa* quidem satis est; cum illa revera non sit intentio, sed defectus intentionis, quæ tamen adesset, si agens adverteret, sed reapse non est, neque fuit. 3. Intentio *actualis* esset optima, sed in hac vitæ infirmitate non semper facile locum habet. 4. Intentio *virtualis* sufficit, cum actio ex illa proficiscens sit actio vere humana, et deliberata. Haec igitur satis est ad sacramentum *valide* perficiendum.

Q. Quaenam intentio *objectiva* requiritur in ministris ad Sacramenta *valide* perficienda?

℞. 1. Non requiritur, ut velint ritum externum, quem peragunt vel ut Sacramentum, vel ut caussam effectuum Sacramenti; alioquin Sacramenta ab hæreticis collata, qui non credunt ritus illos esse Sacramenta, vel producere Sacramentorum effectus, essent irrita, quod falsum esse supra ostendimus. Præsertim cum Sacramenta, et ipsorum effectus non pendeant ex voluntate ministrorum, sed ex Christi institutione. 2. Requiritur necessario intentio *faciendi quod facit Ecclesia* juxta ac definitum est in Concilio Tri-

Tridentino *sess.* VII. *can.* 11. *Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quod intelligendum est, dictum esse eo sensu, ut damnentur omnes ii, qui assererent cum Luthero, ritum Sacramentalem valere, etiamsi mimice, et irrisorie repræsentetur, sicut histriones in theatris aliorum personas, et facta repræsentant, et fingunt.

Q. Sufficit intentio externa in ministris ut Sacramenta *valide* administrent, an requiritur etiam intentio *interna*?

℟. *Ambrosius Catharinus*, et *Alphonsus Salmero*, qui Concilio Tridentino adfuerunt, aliique post illos, ut *Serry*, *Contensonus*, *Juveninus* docuerunt, sufficere intentionem *externam*, etsi minister dicat interius: *nolo facere, quod facit Ecclesia.* Ecclesia siquidem juxta ipsos irritum declaravit duntaxat Sacramentum mimice, et irrisorie ministratum. At communior, et magis consentanea sensui Ecclesiæ videtur esse ea sententia, quæ declarat irritum Sacramentum, quod exterius serio peragitur, cum intentione *interna* non faciendi, quod facit Ecclesia. Patet 1. ex definitione Alexandri VII. qui hanc propositionem proscripsit. *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus tamen in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod Ecclesia.* 2. Ex auctoritate S. Thomæ, qui 3. p. *q.* LXIV. *art.* I. ait dari perversitatem,

quae

quae tollit veritatem Sacramenti ; puta *cum aliquis non intendit Sacramentum conficere , sed aliquid derisorie agere* ; *praecipue quando suam intentionem manifestat* . Ergo etiamsi non manifestaret , tolleretur veritas Sacramenti . 3. Ex modo loquendi quem tenuit Concilium Tridentinum , quod *Sess.* XIV. 6. loquens de ministro Sacramenti Pœnitentiæ ait , hoc non perfici, *si Sacerdoti animus serio agendi* , *et vere absolvendi desit* . Quæ duo simul conjuncta , quis non videt postulare intentionem *internam* , et *externam* ?

Q. Medicamenta prosunt ægrotis , etiam seclusa intentione medici . Cur non item Sacramenta valent seclusa intentione ministri?

℟. Medicamenta .non perficiuntur ex intentione medici ; h. e. sunt vera medicamenta , habentque virtutem propriam , et naturalem , etiam præter intentionem medici . At Sacramenta tunc vere perficiuntur , cum constant ex materia , forma , et intentione ministri . Quemadmodum ergo deficiente forma , vel materia non constant Sacramenta , neque prosunt , ita cum deficit intentio ministri .

CAP.

C A P. VI.

De subjecto Sacramentorum, et dispositionibus in eo requisitis .

§. I.

Sacramentorum subjectum

Q. Quodnam est *subjectum* Sacramentorum ?

R. In scholis Sacramentorum *subjectum* dicitur ille , cui Sacramenta ministrari possunt .

Q. Quinam est ille , cui Sacramenta ministrari possunt ?

R. Solus homo *viator* ; quia solus homo *viator* est capax effectuum Sacramentorum , nempe sanctificationis , et characteris per ea Sacramenta , quæ illum imprimunt .

Q Estne *subjectum* Sacramentorum omnis homo *viator* ?

R. Homines rationis impotes recipiunt *valide* aliqua Sacramenta , non autem omnia . Sic Infantes , et amentes , a nativitate *valide* recipiunt Baptismum , imo Confirmationem , et Eucharistiam ex antiqua Ecclesiæ praxi . At non recipiunt *valide* Pœnitentiam , quæ necessario postulat pœnitentis actus ; Extremam Unctionem , quæ ad abstergendas reliquias peccatorum actualium instituta est ;

Or-

CAP. VII.

De Sacramentorum Ceremoniis, et Sacramentalibus.

§. I.

Sacramentorum Ceremoniæ.

Q. Quid sunt *Ceremoniae Sacramentorum*?

℟ Sunt actus religiosi externi, qui adhibentur in Sacramentorum administratione, ut Sacramentorum servetur dignitas, et eorum populus fidelis invisibiles intelligat effectus.

Q. Ecclesia habetne potestatem instituendi Ceremonias Sacramentorum?

℟. Protestantes hanc potestatem denegarunt Ecclesiæ; sed Ecclesiam hanc potestatem habuisse, et habere constat ex facto, quo liquet eam quovis sæculo Ceremonias adhibuisse in Sacramentorum administratio- quod utique non fecisset, si ipsi potestas eas instituendi defuisset. Quapropter Concilium Tridentinum *Sess.* XXII. *can.* 7. merito anathemate perculit eos, qui dixerint ceremonias, vestes, et signa externa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis.

Q. Possuntne *Ceremoniae* omitti extra

fidelibus, qui aliqua ex caussa Eucharistiam sumere non poterant. Unde fideles vel per panem Eucharisticum, vel per panem benedictum unitatem corporis Christi profitebantur. Per publicam vero, et generalem Confessionem peccatorum intelligitur illa, quæ fit initio Missæ, vel in alis casibus a Ministris Ecclesiæ nomine totius populi adstantis.

Q. Quinam sunt *Sacramentalium* effectus?

℟. *Scotus* opinatus est, saltem aquam benedictam remittere peccata venialia ex *opere operato*. Sed videtur deceptus esse. Ut enim aliquod signum sensibile virtutem habeat remittendi peccata venialia ex *opere operato* requiritur divina institutio; cum contra *Sacramentalia* sint ab Ecclesia instituta. Melius igitur existimarunt *Sylvius*, *Estius*, aliique, Sacramentalia non nisi ex *opere operantis remote* tribuere sanctitatem, quatenus ex precibus Ecclesiæ vim habent impetrandi gratias actuales, quibus homo excitatur vel ad contritionem, vel ad fervoram charitatis; et sic vel ejus peccata deleantur, vel gratia habitualis, quam habet, augetur.

PARS

PARS ALTERA.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO.

CAP. I.

DE BAPTISMI NOMINIBUS, DEFINITIONE, NATURA, MATERIA, ET FORMA.

§. I.

BAPTISMI NOMINA, ET DEFINITIO.

Q. QUibus aliis nominibus appellatur Baptismus?

R. Tribus praecipue aliis nominibus; nempe propter materiam, puta aquam, quae adhibetur in ipsius administratione dicitur *Ephes.* V. 25 *Lavacrum aquae*; propter formam ejus, nempe verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quibus exprimitur fides SS. Trinitatis, vocatur a Concilio Tridentino *Sess.* VI. *cap.* 7. *Sacramentum fidei*; denique propter effectus, quos producit, appellatur ab Apostolo *Tit.* II. 5. *Lavacrum regenerationis*.

Q. Quomodo definitur Baptismus?

R. Cahechismus Romanus definit Baptismum:

mum: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. S. Thomas 3. p. q LXVI. art. I. eum definit: *Ablutio exterius facta sub praescripta forma verborum*. Demum alii Theologi definiunt: *Sacramentum novae legis ad spiritualem regenerationem a Christo institutum*.

§ II.

Natura Baptismi.

Q. Baptismus estne verum novæ legis Sacramentum?

℟. Est dogma fidei, Baptismum esse verum novæ legis Sacramentum. Nam Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *can.* I definiens numerum Sacramentorum novæ legis nominat etiam Baptismum. Demonstratur etiam ratione Theologica; quia ad constituendum novæ legis Sacramentum tria requiruntur, institutio divina, collatio gratiæ, et signum externum. At in Baptismo est institutio divina; ait enim Christus Apostolis *Matth.* XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*: est collatio gratiæ, quia dicitur ab Apostolo *Tit.* III 5. *Lavacrum regenerationis, et renovationis*, quæ non fit nisi per gratiam; non deest signum externum scilicet materia, et forma, h. e. aqua, et verba: *Ego Te baptizo* et cet. Igitur est verum novæ legis Sacramentum.

§. III.

§. III.

MATERIA BAPTISMI.

Q. Quænam est Baptismi materia?

℟. Baptismi materia alia est *remota*, alia *proxima*.

Q. Quænam est Baptismi materia *remota*?

℟. Est sola aqua vera, et naturalis. Siquidem Christus ait *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; neminem autem latet, nomen aquæ simpliciter positum accipiendum esse pro præcipua aquæ specie, nempe pro aqua vera, et naturali. Unde Apostoli ex præcepto Christi baptizantes semper aquam veram, et naturalem adhibuerunt, ut notum est ex *Actis*. Et Ecclesia in administratione baptismi semper usa est aqua vera, et naturali, damnavitque hæreticos, qui aquam veram, et naturalem non esse necessariam materiam baptismi docuerunt. Hinc Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *can.* 2. de Baptismo sic definivit: *Si quis dixerit; aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque adeo verba illa D. N. J. C. nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S.* etc. *ad metaphoram detorserit, anathema sit*.

Q. Si sola aqua vera, et naturalis est materia Baptismi, quare *Stephanus* II. probavit Baptismum a quodam Presbytero in

vino

vino ministratum iis verbis: *Nulla ei adscribitur culpa, infantes sic permaneant in baptismo?*

℞. 1. Critici merito rejiciunt veritatem Decreti *Stephani II.* quia in collectionibus Canonum Ecclesiae Gallicanae, et Romanae desideratur. 2. Data veritate Decreti, Stephanus II. non fuit interrogatus de materia adhibita in eo Baptismo, sed de poena Presbytero irroganda, qui vinum pro aqua adhibuit, et respondit nullam ei culpam adscribendam, si aqua defuisset. *Quod si aqua*, inquit, *adfuit praesens, excommunicetur, et poenitentiae submittatur*. 3. Videntur verba illa sic corrigenda: *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant*.

Q. De Baptismo Christi legitur, *Joan.* III. 16. *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, et igni*. Quare non dicitur cum *Seleucianis* ignis esse materia Baptismi?

℞ In laudato textu, *ignis* non accipitur proprie, sed metaphorice pro Spiritu Sancto, qui instar ignis corda nostra accendit, et inflammat. Quis enim assereret ignem materialiter adhibitum baptizare h. e. abluere, et lavare?

Q. Quare *aqua* in textu *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* et cet. non accipitur etiam metaphorice?

℞. 1. Quia neque Apostoli, neque Ecclesia aquam illam metaphorice dictam intellexerunt. 2. Quia in ipsis locis recitatis patet quaedam differentia, ut advertit *E-*

stius; nam cum dicitur: *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, et igni*, ignis postponitur Spiritui S., ut significetur effectus Spiritus Sancti, nempe charitas; cum vero legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto*, aqua praeponitur Spiritui Sancto, ut intelligatur, aquam esse materiam Baptismi, per quem, tanquam per caussam, Spiritus Sanctus tribuitur suscipienti.

Q. Aqua maris, fluminum, fontium estne materia idonea Baptismi?

℟. Non solum hujusmodi aqua, sed quævis alia, quæ speciem aquae naturalis non mutaverit, est materia ad Baptismum ministrandum idonea.

Q. Aqua ex herbis, floribus, fructibus expressa estne materia apta Baptismo?

℟. Minime; non enim est aqua naturalis, sed artificialis, ideoque inepta Baptismo materia. Sed quia non desunt, qui opinantur, magnam in ea partem esse aquæ naturalis, in extrema necessitate, tamquam materia dubia, adhiberi posset.

Q. Quaenam est materia *proxima* Baptismi?

℟. Est ipsius materiæ *remotae* Baptismi baptizando facta applicatio h. e. aquae ablutio.

Q. Quibus modis fieri potest ablutio?

℟. Tribus modis; nimirum per *immersionem*, cum totum corpus baptizandi in aqua mergitur, per *effusionem*, cum aquæ copia supra caput baptizandi effunditur, et per *ad-*

adspersionem , cum aqua super baptizandum adspergitur.

Q. Valetne baptismus hisce tribus modis ministratus?

℞. Graeci Schismatici Latinam Ecclesiam erroris insimulant, quod hodie non conferat Baptismum per *immersionem*, quam putant necessariam esse ad valorem Baptismi. Sed nos dicimus, dogma fidei esse valere Baptismum sive per *immersionem*, sive per *effusionem*, sive per *adspersionem* ille conferatur. 1. Valet Baptismus per *immersionem* collatus; ut patet ex Ecclesiæ consuetudine, quæ per tredecim sæcula Baptismum ministravit trina immersione ad Mysterium SS. Trinitatis significandum, testibus *Tertulliano*, *Ambrosio*, *Leone* M., *Hienymo*, aliisque; necnon Ritualibus Latinis, et Græcis. 2. Valet Baptismus sive per *effusionem*, sive per *adspersionem* ministratus. Nam in Concilio Florentino declaratum est, Baptismum sive *immersione* apud Graecos, sive *effusione*, aut *adspersione* apud Latinos ratum esse. Quod et patet ex veteri Ecclesiæ disciplina, quæ probavit Baptismum *Clinicis*, idest graviter decumbentibus, collatum sive per *effusionem*, sive per *adspersionem*. Et revera tam *effusio*, quam *adspersio* est vera aquae ablutio.

Q. Christus baptizatus est per *immersionem*; *Matth*, III 16. *Baptizatus Jesus ascendit de aqua*. Apostoli baptizabant per immersionem *Act*. VIII. 37. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus*

et baptizavit eum. Ecclesia per tredecim saecula baptizavit per *immersionem*. Cur hodie Ecclesia Latina hunc morem baptizandi non tenet, immutato veteri Baptismo?

℟. Ecclesia non immutavit, nec immutare poterat veterem Baptismum, quoad ejus substantiam; sed omnis mutatio facta est in *accidenti*. Substantia Baptismi est, ut corpus baptizandi abluatur; *accidens* vero ut haec ablutio fiat aut per *immersionem*, aut per *effusionem*, aut per *adspersionem*. Porro aliquid *statuere*, vel *mutare* in dispensatione Sacramentorum, *salva eorum substantia*, non est positum extra limites potestatis Ecclesiae, ut agnovit Concilium Tridentinum. *Sess.* XXI. *cap.* 2. Cæterum Ecclesia Latina nulla lege prohibuit Baptismum per *immersionem*, sed cum XIII. sæculo conferri cœperit per trinam effusionem, Ecclesia Latina propter gravissimas rationes illum probavit. 1. Ob commodum baptizandorum, præsertim infantium, qui in illa tenerrima aetate sine periculo vitæ mergi non possunt. 2. Ob mulierum pudorem, praesertim cum cessaverint Diaconissæ, quæ illas per immersionem olim baptizabant. 3. Ob infirmitatem ministrorum, qui adultis mergendis vix pares habent vires, inclinata jam plurimum hominum vi, ac robore.

Q. Quaenam ablutio censetur sufficiens, ut homo revera sit baptizatus?

℟. Cum tanta aqua corpus baptizandi perfunditur, ut juxta communem existimationem homo

homo dicatur revera ablutus . Hinc non est baptizatus, 1. qui una vel altera aquæ guttula fuerit aspersus, 2. qui ita vestibus, aut capillis sit obvolutus, ut aqua carnem minime tangat. 3. Dubium est baptisma, si in casu necessitatis baptizatur infans adhuc in *secundinis* latens, unde, si vivus a *secundinis* evolvitur, iterum baptizandus est sub conditione: *si non es baptizatus*. 4. Si baptizatus fuerit in pede, vel in manu, iterum baptizandus sub conditione: *si non es baptizatus*. 5. Abluenda est una ex praecipuis corporis partibus, maxime caput, in quo vigent omnes hominis sensus. Reliqui casus eruendi sunt ex Rituali Romano.

§. IV.

Baptismi forma.

Q. Quaenam est Baptismi forma?

℟. Sunt verba, quae inter baptizandum profert Minister. Apud Latinos dicuntur haec verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Apud Graecos: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Utramque formam probavit Eugenius in suo *Decreto*; nec umquam aut Latini Graecos, aut Graeci Latinos de corrupta Baptismi forma accusarunt; mutatio enim est *accidentalis*, non *substantialis*, quae cum relicta fuerit potestati Ecclesiae, et Ecclesia illam probaverit, reddit Baptismum non so-

lum *validum*, sed etiam *licitum*, cum utuntur Latini, et Graeci forma sua.

Q. Valetne Baptismus collatus sine hisce verbis: *Ego te baptizo?*

℟. Minime. Et patet ex auctoritate Alexandri III. *Cap. Si quis de Baptismo. Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen, et non dixerit : Ego te baptizo, puer non est baptizatus*; et ex Decreto Alexandri VIII. qui proscripsit hanc propositionem: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, praetermissis illis: Ego te baptizo*.

Q. Christus Eucharistiam instituens dixit Apostolis: *Hoc facite*; nec sequitur Sacerdotem Eucharistiam conficientem dicere debere: *Ego facio*. Quare ex eo, quod dixit Apostolis: *Docete omnes gentes baptizantes eos*, colligitur ministrum Baptismi dicere debere: *Ego te Baptizo?*

℟. In iis, quæ a libera voluntate Dei pendent non possumus, nec debemus argumentari a simili, sed standum est Scripturæ, et Traditioni. Traditio constans, et perpetua docet exprimendam esse in ministratione Baptismi actionem baptizantis; secus vero in confectione Eucharistiæ.

Q. Si irritus est Baptismus sine hisce verbis collatus: *Ego te baptizo*; cur insignes quidam Theologi sæculi XII. contrarium docuerunt?

℟. 1. Ii Theologi non asserendo, sed opinando

nando scripserunt: *Opiniones profundo*, *non assertiones*, inquit *Stephanus Tornacensis*. 2. Paucorum auctoritas non debet præferri auctoritati summorum Pontificum Alexandri III. et Alexandri VIII. qui perpetua, et constanti Ecclesiae traditione innixi damnarunt contrariam sententiam.

Q. Valetne Baptismus ministatus sine hisce verbis: *In nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti?*

℟. Non valet. Irritus enim est Baptismus, qui non ministratur forma verborum a Christo Sacramentorum auctore praescripta. At Christus cum misit Apostolos ad baptizandum dixit eis *Matth.* XXVIII. 19: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*. Unde Ecclesia quovis tempore in Baptismi administratione ea verba nunquam prætermisit, nec ratum judicavit Baptismum ab haereticis collatum ea verba omittentibus. Testis est Augustinus *lib.* V. *de Baptismo cap.* 25. scribens. *Quis nesciat non esse baptismum Christi*, *si verba Evangelica*, *quibus Symbolum constat*, *defuerint?*

Q. Si necessario exprimenda essent ea verba: *In nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*; cur Apostololi dicuntur *baptizasse in nomine Christi*, *Act.* II. 3.?

℟. Baptizare *in nomine Christi* idem est, ac baptizare in auctoritate Christi, et baptismo a Christo instituto. Non enim desunt exempla in Sacris litteris, in quibus *in nomine* idem sonat, ac in auctoritate. Sic *Act.*

ministratum sine hisce verbus *in nomine Patris* , *et Filii* , *et Spiritus Sancti*, sibi objicit Apostolorum factum , qui dicuntur baptizasse *in nomine Christi* : ipse nihil sollicitus de rei veritate , respondet Apostolos , etiamsi hoc verum esset , id fecisse ex dispensatione . 3. Nicolaus , vel ut doctor privatus erravit , vel , quod verosimilius est , in illa responsione , quam opponunt , *ad Consulta Bulgarorum. Can. a quodam* , non de forma baptismi , sed de Ministro fuerat interrogatus . Ita *Melchior Canus* , *Bellarminus* , aliique .

CAP. II.

De tempore , quo Christus Baptismum instituit , et ejus ministro .

§. I.

Tempus , quo Christus Baptismum instituit .

Q. Ex dictis I. p. Cap. V. §. I. liquet Christum esse auctorem Baptismi ; sed quo tempore illum instituit ?

℞. Controversia est inter Theologos . Nonnulli volunt Christum instituisse Baptismum post resurrectionem , cum praecepit Apostolis *Matth.* XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomi-*

ne Patris, *et Filii*, *et Spiritus S.* Alii existimant Baptismum fuisse institutum, cum Christus baptizatus fuit in Jordane. Alii arbitrantur, Christum eum instituisse, cum ipsius necessitatem exposuit Nicodemo dicens *Joan.* III. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *et Spiritu Sancto*, *non potest introire in regnum Dei*. Nos verosimiliorem putamus sententiam eorum, qui statuunt, Baptismum fuisse institutum a Christo ante mortem, cum discipulos per civitates Judeae misit ad prædicandum *Matth.* X. Nam certum est Judam baptizasse baptismo Christi ex Augustino *Tract.* V. in *Joan. Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit*; igitur institutus fuit ante Christi mortem, et quidem cum Apostoli missi fuerunt ad praedicandum, non enim erat aliud tempus commodius illum instituendi.

§. II.

BAPTISMI MINISTER.

Q. Quinam est Minister Baptismi?

℞. Omnis, et solus Sacerdos est minister Ordinarius baptismi solemnis vi suae ordinationis. In ordinatione enim Presbyteri dicitur: *Presbyterum oportet praeesse . . . . baptizare, etc.* Quod et dixerat Eugenius IV. in *Decreto*: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos*, *cui ex officio competit baptizare*. Dixi 1. *Minister ordinarius*; nam Diaconus est

est minister extraordinarius baptismi, quatenus necessitate urgente, et ex delegatione Episcopi, vel Parochi potest solemniter baptismum administrare, ut constat ex verbis *Gelasii* Papae in Epist. ad Episcopos *Lusitan. Diaconi absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi, praedictis fortasse ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat*. Dixi 2. *Baptismi solemnis*; nam in casu necessitatis sine solemnitate baptismus potest a quolibet homine conferri; etiam non baptizato, laico, muliere, Ethnico, ut innixus constanti, et perpetua traditione Ecclesiae dixit Eugenius in *Decreto*: *In casu necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia*. Dixi 3. *Vi suae ordinationis*; nam lege Ecclesiastica sancitum est, ut Sacerdos non habens animarum curam non possit *licite* baptismum ministrare, nisi a Parhoco obtenta facultate.

Q. Christus solis Apostolis dedit potestatem baptizandi, ac proinde solis eorum in Sacerdotio successoribus; quomodo etiam laici dicuntur posse baptizare?

R. Possunt laici baptizare in casu necessitatis, et sine solemnitate. Cum enim baptismus sit maximae necessitatis, congruebat, ut quemadmodum pro ipsius materia commune elementum, nempe aquam Christus elegit; ita quemlibet hominem ad eum valde

 mi-

ministrandam designaret. Hanc vero fuisse Christi voluntatem discimus ex Traditione.

CAP. III.

De Subjecto Baptismi, et dispositionibus in eo requisitis.

§. I.

Baptismi Subjectum.

Q. Quodnam est subjectum baptismi?

℞. Omnis homo viator. Cum enim baptismus institutus sit ad delendum peccatum originale, omnes homines sunt capaces baptismi, quia omnes homines nascuntur peccato originali obnoxii. Hinc praecepit Christus Apostolis *Matth.* XXVIII. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos.*

℞. Parvuli in utero matris ita latentes, ut aqua nec eorum corpus, nec *secundinas* possit attingere, suntne capaces baptismi?

℞. Minime. Per baptismum enim homo renascitur juxta illud *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit etc. At renasci quisquam non potest, antequam natus sit*, inquit Augustinus.

Q. In-

Q. Infantes jam nati suntne capaces baptismi?

℟. *Waldenses*, *Petrobrusiani*, *Henriciani* XII. saeculo infantes Baptismi incapaces dixerunt. *Anabaptistae* pueros in infantia baptizatos, cum ad adultam aetatem perveniunt, iterum baptizant, quia in illa aetate utpote incapaces *fidei*, quae ex *Luthero* sola justificat, nec baptismi quoque juxta ipsos capaces sunt. Sed dogma fidei est, infantes baptismi capaces esse; nam in Ecclesia a primis saeculis semper ministratus est baptismus infantibus. Unde ait Augustinus ser. 10. *de verbis Apost. al.* 176. *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide suscepit, hoc usque in finem perseveranter custodit*. Propterea Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *can.* 13. ita definivit: *Si quis dixerit, parvulos eo quod proprium actum non habeant, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma; quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit*.

Q. Christus Baptismum praecipiens voluit, ut suscipientes prius edocerentur fidem *Matth.* XXVIII. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos*. Quomodo infantes, qui non sunt capaces fidei, capaces esse possunt Baptismi?

℟. Christus voluit, ut ante susceptionem Baptismi ii edocerentur fidem, qui sunt adul-

adulti, quod etiam hodie servat Ecclesia, Infantes vero, qui non sunt fidei capaces, Ecclesia prius baptizat, et cum veniunt ad usum rationis fidem edocet; putavit enim, cum sit fidissima Christi interpres, sufficere infantibus fidem alienam, sicut nocuit eis alienum peccatum, ut observat Augustinus.

Q. Per baptismum imponitur homini onus servandi legem Christi, et Ecclesiae. Quo pacto illud onus imponi potest infantibus, qui nesciunt, quid agunt?

℞. Cum onus illud servandi legem Christi, et Ecclesiae sit *medium* necessarium ad salutem consequendam, potest imponi infantibus, etiamsi nesciant, quid agunt. Imponitur enim onus, quod ipsi necessario debent quærere, et cum ad annos discretionis perveniunt, debent esse contenti; imo gratias sempiternas agere Ecclesiæ, quae illi oneri ipsos subjecit, quod non habentes, baptismo non suscepto, a spe consequendae salutis fuissent sine spe dejecti.

Q. Nonne utilius esset Baptismum ad ætatem adultam differre, cum suscipientes edoceri possunt Mysteria fidei?

℞. Quaecumque statuatur utilitas, comparari non potest cum aeternae damnationis periculo, cui Baptismi dilatio certissime infantem exponeret.

Q. Possuntne baptizari filii infidelium invitis parentibus?

℞. Exceptis nonnullis casibus, non possunt licite baptizari. Nam si baptizati subtraherentur curae parentum, ageretur contra jus naturale,

le, quod curam filiorum parentibus commisit; si relinquerentur apud ipsos parentes, esset gravissimum periculum subversionis, et injuriae in fidem, et Sacramentum. Dixi: *exceptis nonnullis casibus*; nam baptizari possunt 1. si sint morti proximi, ita ut nulla spes vitae *moraliter* remaneat. 2. si a parentum custodia ita sint abstracti, ut nulla sit spes reditus ad illos. 3. si alter parentum ad fidem conversus consentiat, filios baptizari, altero renuente, ex *Gregorio* IX. *Cap. ex literis de convers. infidel.* 4. Si parentes sint Christianorum servi; tunc enim tam ipsi, quam parentes subditi sunt dominis suis.

§. II.

Dispositiones in adultis ad suscipiendum baptismum necessariae.

Q. Quaenam dispositiones necessariae sunt in adultis ad suscipiendum Baptismum?

℟. 1. Ut adulti *licite* suscipiant baptismum requiruntur in iis Fides, Spes, Charitas, et Contritio. Has dispositiones Ecclesia in adultis, quos appellat Catechumenos h. e. in fide instruendos, olim probabat longi temporis intervallo. Hodie per quadraginta circiter dies in fide instruit, et, signis conversionis non dubiis acceptis, illis baptismum tribuit. 2. Ut adulti *valide* suscipiant baptismum sufficit sola intentio. Qui tamen baptismus, quamvis ratus sit, imprimat

Cha-

Characterem, nec iterari possit, tamen sine debitis dispositionibus susceptus dicitur ab Augustino *ficte susceptus*: ita ut non deleat peccata, nec tribuat gratiam sanctificantem, nisi cum recesserit fictio, nempe conceperit baptizatus Fidem, Spem, Charitatem, et Contritionem.

CAP. IV.

De necessitate baptismi, et ejus effectibus.

§. I.

Baptismi necessitas.

Q. BAptismus estne necessarius?

℟. Exceptis duobus casibus, baptismus est necessarius necessitate *medii* ad salutem h. e. est medium ita necessarium ad salutem consequendam, ut homo sine illo salutem consequi non possit. Absolute enim ait Christus *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Unde Tertullianus *lib. de Bapt. cap.* 12. ait: *praescribitur, nemini sine Baptismo competere salutem*. Hinc Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *Can.* 5. sic definivit: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non ne-*

ces-

cessarium ad salutem, *anathema sit* . Dixi : *exceptis duobus casibus* ; nam 1. *Votum* seu desiderium baptismi cum perfecta Dei charitate conjunctum , saltem in ultima vitae periodo, non excludit hominem a vita aeterna ; dixit enim Christus : *Ego diligentes me diligo* ; et *qui diligit me* , *diligetur a Patre meo* 2. *Martyrium* sine baptismo actu suscepto , remittit peccata tum quoad omnem culpam , tum quoad omnem pœnam. Qui enim Martyrium subit , vehementissima flagrat charitate , juxta illud *Joan*. XV. *Majorem hac dilectionem nemo habet* , *ut animam suam ponat quis pro amicis suis* . Quae vehementissima charitas utique remittit omnem culpam , et omnem poenam . Unde Ecclesia semper ut Sanctos venerata est Martyres , nec umquam pro iis Sacrificium obtulit , ut docet Augustinus *Serm*. XVII *de verbis Apost*. *Injuriam facit Martyri* , *qui orat pro Martyre* .

Q. Cur a necessitate suscipiendi baptismum saltem non excluduntur filii fidelium , quos Apostolus ait nasci *sanctos* , I. *Cor*. VII. 14. *Alioquin filii vestri immundi essent* , *nunc autem sancti sunt ?*

℞. Apostolus non ait , filios fidelium nasci sanctos,cum scripserit ad *Rom*.V.12 in Adamo *omnes peccaverunt* . Sed sensus Apostoli est , quod sanctificato per matrimonium viro infideli , vel muliere infideli , eorum filii *dispositive* sancti sunt ; quatenus parentes sanctificati eos ad baptismum adducent ,

quo

sanctificati estis . 4. Imprimit charactere m in anima, ut demonstratum est Part. I. *cap.* III. §. V.

C A P. IV.

De Baptismi ceremoniis, Sponsionibus, et Susceptoribus, sive patrinis, qui in eo locum habent.

§. I.

Baptismi Ceremoniae.

Q. Licetne praetermittere baptismi Ceremonias, quas tradit Rituale Romanum?

R. Extra casum necessitatis non potest Minister praetermittere Ceremonias baptismi; quia infringeret praeceptum Ecclesiae in re gravi. Dixi *extra casum necessitatis*; nam in eo casu quilibet homo potest ministrare baptismum sine solemnitate h. e. sine Ceremoniis.

§ II.

Q. Quot Susceptores, sive Patrini adhibendi sunt in Baptismo?

℞. Concilium Tridentinum *Sess.* XXIV. *cap.* 4. statuit ut unus tantum vir, vel una mulier juxta Sacrorum Canonum Instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum in Baptismo suscipiant.

DE

DE CONFIRMATIONE.

C A P. I.

De Confirmationis nominibus, definitione, et natura.

§. I.

Confirmationis nomina, et Definitio.

Q. Quibus aliis nominibus nuncupatu Confirmatio?

℟. Secundum varias rationes considerata, varia sortita est nomina. Ratione *materiae* dicitur *manus impositio*, *Unguenti Mysterium*, *Sacramentum Chrismatis*, *et Unctionis*, *Chrisma salutis*. Ratione *formae* appellatur *Signaculum*. Ratione effectus nominatur *Perfectio*, *Consummatio*, *Sacramentum plenitudinis*. Communiter tamen *Confirmatio* nuncupatur, quia per hoc Sacramentum fideles confirmantur, et roborantur in fide.

Q. Quomodo definitur Confirmatio?

℟. Definiri potest: *Sacramentum novae legis, quo baptizatis per impositionem manus Episcopi, et Unctionem Chrismatis in fronte, confertur gratia firmans, et roborans ad profitendam fidem Christianam.*

§. II.

§. II.

Confirmationis natura.

Q. Confirmatio estne verum novae legis Sacramentum?

℟. *Lutherani*, et *Calvinistae* negant, Confirmationem esse verum novae legis Sacramentum, eamque enormibus blasphemiis impetunt. Calvinus, *lib.* III. *Instit.* impie vocat Chrisma *pinguedinem perungendis calceis addicendam*. Et *Dallaeus Calvinista* tres evomuit libros contra Confirmationem. Nos dicimus dogma fidei esse, Confirmationem esse verum novae legis Sacramentum. Nam ad Sacramentum constituendum tria requiruntur, *collatio gratiae*, *institutio divina*, et *signum externum*. At in Confirmatione adest *collatio gratiae*, *Act.* VIII. 14. *Imponebant manus super illos*, *et accipiebant Spiritum Sanctum*: adest *institutio divina*; non poterant enim Apostoli propria auctoritate signis externis gratiam Dei alligare; non deest *signum externum*, nempe manus impositio, et Chrismatis Unctio. Igitur est verum novæ legis Sacramentum. Posset etiam idem demonstrari ex Traditione perpetua, et constanti Ecclesiæ, afferendo testes ejus, scilicet Patres omnium sæculorum; sed sufficit recitare definitionem Concilii Tridentini, quod utique innixum Scriptura, et Traditione ita statuit *Sess.* VII. de *Confirm. Can.* I. *Si*

quis

quis dixerit, Confirmationem esse otiosam ceremoniam, et non potius verum Sacramentum, anathema sit.

Q. Quomodo ex textu *Act.* VIII. 14. recitato colligitur per Confirmationem tribui gratiam Sanctificantem, cum nomine *Spiritus Sancti* possit intelligi virtus miraculorum, quam Apostoli per *manus impositionem* baptizatis tribuebant?

℟. Cum in illo textu simpliciter, et absolute nominatus sit *Spiritus Sanctus*, designata est gratia sanctificans, quæ est præcipuus Spiritus Sancti effectus. Nos non negamus, in illis primis Ecclesiæ temporibus simul cum gratia sanctificante collatas esse etiam gratias *gratis datas*, ut est virtus miraculorum ad confirmationem, et propagationem fidei. Sed ea cessante necessitate, tantum gratia sanctificans cum charactere per Confirmationem tribuitur sucipientibus.

CAP.

C A P. II.

De Materia, et forma Confirmationis.

§. I.

Confirmationis Materia.

Q. Quænam est Confirmationis materia? ℟. In statuenda Confirmationis materia in varias sententias abiere Theologi. Cum enim Ecclesia duplicem ritum adhibeat in ejus administratione, nempe manuum impositionem, et Chrismatis unctionem, nonnulli putarunt, *solam* manuum impositionem, alii *solam* Chrismatis Unctionem esse materiam Confirmationis. Nobis magis arridet sententia illorum, qui utramque simul, nempe impositionem manuum, et unctionem Chrismatis esse *adaequatam* Confirmationis materiam dixerunt. Et revera; ea est Confirmationis materia, cui adscribitur gratiæ sanctificantis collatio. At Patres modo manuum impositioni, modo unctioni Chrismatis adscribunt gratiæ collationem. Sic Tertullianus *lib. de Resurrect. carnis Cap.* 8. *Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur*. Hieronymus in *Dialog. contr. Lucifer. Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impositurus excurrat*; aliique. Et

 Cy-

Cyprianus *Ep.* LXX. *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Chrismate . . . habere in se gratiam possit*. Augustinus *lib.* II. *cont. litt. Petilian.* Confirmationem appellat *Sacramentum Chrismatis*; et ita alii. Igitur utraque, nempe manuum impositio, et Chrismatis unctio est *adaequata* materia Confirmationis.

Q. Si manuum impositio est inadaequata materia Confirmationis, quare Eugenius IV. nullam ejus mentionem facit in *Decreto*?

R. Quia Eugenius IV. in *Decreto* susceperat erudiendos Armenos, qui non dissidebant a Latinis in manuum impositione, sed tantum in Chrismatis unctione, ideoque istius tantum facit mentionem.

Q. Si etiam Chrismatis unctio est materia *inadaequata* Confirmationis, cur Apostoli confirmabant sola manuum impositione *Act.* VII. 14?

R. Ex eo, quod *Act.* VIII. 14. fit mentio solius impositionis manuum, non sequitur, Apostolos ea tantum confirmasse. Imo cum usus Chrismatis sit antiquissimus, nec in ullo Concilio legatur institutus, certissimum est, eum esse Apostolicæ traditionis juxta regulam Augustini *lib.* IV. *de Bapt. Cap.* 24 *Quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis statutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectisime creditur*.

§. II.

§. II.

Confirmationis forma.

Q. Quænam est Confirmationis forma?

℟. Quemadmodum Theologi circa materiam, ita circa formam Confirmationis scissi sunt. Qui volunt, solam manuum impositionem esse materiam Confirmationis, consequenter docent, orationem, quam fundit Episcopus, cum manus imponit, ipsius formam esse. Qui vero contendunt, solam Chrismatis unctionem esse Confirmationis materiam, statuunt ejus formam esse verba, quæ Chrismationem comitantur, scilicet apud Latinos: *Signo te signo crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; apud Graecos: *Signaculum Spiritus Sancti*. Nos, qui diximus, utramque simul, nempe manuum impositionem, et Chrismatis unctionem esse materiam *adaequatam* Confirmationis, dicimus orationem Episcopi, et verba mox recitata continere *adaequatam* Confirmationis formam; forma enim est, quæ comitatur materiam.

CAP. III.

DE TEMPORE, QUO INSTITUTA EST CONFIRMATIO, EJUS NESESSITATE, SUBJECTO, ET MINISTRO.

§. I.

TEMPUS, QUO INSTITUTA EST CONFIRMATIO.

Q. QUandonam instituta est Confirmatio?

R. Circa tempus, quo instituta est Confirmatio, Theologi non conveniunt. Nonnulli arbitrantur, institutam esse, cum Christus pueris manus imposuit, *Matth.* XIX.; alii in ultima cœna. Nos verisimilius putamus, institutam esse post Resurrectionem, cum Christus apparens Apostolis per quadraginta dies locutus est cum eis *de Regno Dei*. Sic Leo M. *serm.* I. de *Ascens. Hi dies non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata Mysteria*.

§. II.

§. II.

Confirmationis necessitas.

Q. Estne necessarium suscipere Sacramentum Confirmationis?

℟. Non est necessarium necessitate *medii*, quia sine illo *medio* per solum baptismum homo potest consequi salutem æternam: sed est necessarium necessitate *praecepti* 1. iis, qui sunt Tonsura, et Ordinibus initiandi; ait enim Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. de *Reformat. Cap.* 4. *Prima Tonsura non initientur, qui Confirmationis Sacramentum non susceperint*; quod præceptum violaretur in re gravi, si confirmatio prætermitteretur. 2. omnibus fidelibus, cum ad annos discretionis pervenerint: *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est*, ait Cyprianus *Epist.* LXX. Et graviter peccant, qui Sacramentum illud, cum possint, suscipere negligunt.

§. III.

Confirmationis Subjectum.

Q. Quodnam est Confirmationis subjectum?

℟. Omnis homo baptizatus sive infans, sive adultus rite dispositus, est capax Confirmationis. In Ecclesia Latina per XII. sæ-

cula ministrata est infantibus statim post baptismum; sed postea placuit, ut baptizati, cum ad usum rationis pervenerint, confirmarentur, h. e. post annum septimum, Dixi: adultus *rite dispositus*; nam ex parte corporis, cum fieri potest, juxta Canones, confirmandus debet esse jejunus, sicut et Minister; ex parte animæ requiritur status gratiæ sanctificantis; est enim Confirmatio Sacramentum *vivorum*; alioquin Characterem imprimeret, sed gratiam non tribueret.

§. IV.

CONFIRMATIONIS MINISTER.

Q. Quinam est Minister Confirmationis?

R. Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus; est dogma fidei. Nam 1. soli Apostoli *Act.* VIII. et XIX. manus imponebant iis, qui ab aliis baptizabantur. Episcopi autem sunt successores Apostolorum. 2. PP. solis Episcopis hanc potestatem confirmandi concessam esse scripserunt. Cyprianus *Ep.* LXXIII. ait *baptizatos Praepositis Ecclesiae offerri, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum S. consequantur*; aliique. 3. Concilium Tridentinum *Sess.* VII. *Can.* 3. sic definivit: *Si quis dixerit, Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, anathema sit.* Dixi: *minister ordinarius*; nam simplices presbyteri possunt esse *extraordinarii* Confirmationis ministri. Sic Gregorius M.

M. Presbyteris Calaritanis fecit potestatem Confirmandi: *Ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant*, *concedimus*. Et Ecclesia Græca per simplices Presbyteros confirmat, scientibus, nec reluctantibus summis Pontificibus.

Q. Nonne ait Hieronymus *Epist.* 101. *al.* 89. ad, *Evagrium*: *quid facit, excepta Ordinatione Episcopus, quod non facit et Presbyter*? proindeque docet, parem esse Episcopis, et Presbyteris confirmandi potestatem?

℟. Cum Hieronymus in ea Epistola totus sit, ut compescat Diaconorum audaciam, qui se pares Presbyteris faciebant, ut extollat Presbyterorum dignitatem parum sollicitus est enumerare, quæ sint illa; quæ Presbyteros Episcopis minores efficiant, et nominat solam ordinationem; præsertim, cum confirmationem etiam possit Presbyter extraordinarie, ex delegatione S. Pontificis, ministrare. Sed in *Dialog. cont. Luciferian.* expresse ait: *baptizatus nisi per Episcopum non accipiat Spiritum Sanctum*. Non igitur docet Episcopis, et Presbyteris parem esse potestatem confirmandi.

Q. Si presbyteri possunt esse extraordinarii Confirmationis ministri, confirmant ex potestate *ordinis*, an *jurisdictionis*?

℟. Confirmant ex potestate *ordinis* simul, et *jurisdictionis*, quatenus ex ordine habent *inchoatam*, et incompletam potestatem, ut possint delegari ad Confirmationem ministran-

dam, quæ potestas fit in ipsis expedita per communicatam jurisdictionem.

CAP. IV.

DE EFFECTIBUS, ET CEREMONIIS CONFIRMATIONIS.

§. I.

CONFIRMATIONIS EFFECTUS.

Q. Quinam sunt effectus Confirmationis?

℞. 1. Tribuit augumentum gratiæ sanctificantis, quo homo roboratur ad profitendam fidem. 2. gratiam *sacramentalem*, sive jus ad auxilia specialia, quibus homo opus habet, ut data opportunitate, fidem profiteatur. 3. Characterem.

§. II.

CONFIRMATIONIS CEREMONIÆ.

Q. Quænam sunt Confirmationis Ceremoniæ?

℞. In Ecclesia Græca 1. Chrisma consecratur ab Episcopo, admixtis triginta quinque aromatum generibus. 2. Sacerdos, qui infantem baptizatum confirmat, fundit orationem super neophytum. 3. Ungit neophytum faciens si-

signum Crucis in fronte, in oculis, in naribus, in utraque aure, et in pedibus dicens: *Signaculum Spiritus Sancti*. 4. Recitantur quædam ex Epistola ad Rom. et ex Evangelio. In Ecclesia Latina 1. Chrisma consecratur ab Episcopo Feria V. in cœna Domini, sola balsami, et olei mixtione. 2. Confirmandus Episcopo offertur a Patrino. 3. Episcopus manus imponit, et orationem fundit ad invocandum Spiritum Sanctum. 4 Signat Confirmandi frontem Chrismate dicens: *Signo te signo Crucis* etc. 5. Levi alapa maxillam confirmati percutit dicens *Pax tecum*, ut discat Evangelium non erubescere. 6. Episcopus orat, ut Deus in Confirmato gratiam suam conservet.

DE EUCHARISTIA.

SECTIO I.

De Eucharistia, prout est Sacramentum.

CAP. I.

De Eucharistiae nominibus, definitione, et essentia.

§. I.

Eucharistiæ nomina, et definitio.

Q. Quibus aliis nominibus appellatur Eucharistia?

℟. Variis aliis nominibus a diverso modo, quo de ea Scriptura, et Patres locuti sunt, derivatis. Dicitur *Eulogia*, idest benedictio; *Communio*, *Synaxis*, quia per eam Christo, et Fidelibus conjungimur; *Viaticum*, quia tam in vita, quam in exitu præbet viam, et addit vires, ut ad Patriam possimus pervenire; *Sanctissimum Sacramentum*, propter ejus super alia Sacramenta excellentiam. Item ratione *materiae* appellatur *Panis vitae*, *Panis Angelorum*; ratione *rei contentae* dicitur *Corpus Christi*, *Corpus Dominicum*; ratione *effectus*,

ctus nminatur *Sacramentum gratiae* , *gratia salutaris* .

Q. Quomodo definitur Eucharistia ?

℟. Vulgo definitur : *Sacramentum corporis , et sanguinis Christi sub speciebus panis , et vini* .

§. II.

Eucharistiæ Essentia .

Q. In quo sita est *essentia* Eucharistiæ ?

℟. Nonnulli Theologi opinantur, sitam esse in consecratione ; *Scotistae* in solis speciebus panis , et vini ; *Thomistae* in corpore , et sanguine , quatenus continentur sub speciebus panis , et vini . Nobis verisimilior videtur *Thomistarum* sententia . Nam 1. Non est sita in Consecratione ; quia consecratio est quid transiens ; et Eucharistia est quid permanens . 2. Non est sita in solis speciebus panis , et vini ; quia solæ species non possunt esse objectum adorationis ; at Eucharistia adoratur . 3. Igitur sita est in ipso corpore , et sanguine Christi , quatenus latent sub speciebus panis , et vini .

Q. Corpus , et sanguis Christi non sunt quid sensibile ; quomodo in iis constat essentia Sacramenti , quod debet esse sensibile ?

℟. Corpus , et sanguis Christi non sunt quid sensibile per se , sed per species panis , et vini ; propterea utrumque conjunximus .

CAP. II.

DE EUCHARISTIÆ HOSTIBUS; VERA AC REALI PRÆSENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA; ET MODO, QUO CHRISTUS PRÆSENS EST IN EUCHARISTIA.

§. I.

HOSTES EUCHARISTIÆ.

Q. Quinam sunt hostes Eucharistiæ?

℟. 1. *Sacramentarii*, quales fuerunt *Joannes Erigena* sæculo IX. *Berengarius*, et *Henriciani* sæculo X. *Wicleffus* sæculo XIV. et *Protestantes* sæculo XVI. qui generatim negarunt, in Eucharistia verum corpus, et verum sanguinem Christi contineri, eamque dixerunt esse meram figuram corporis, et sanguinis Christi. 2. *Lutherus* convictus Scripturarum evidentia non negabat præsentiam corporis, et sanguinis Christi in Eucharistia, sed totis viribus insurrexit contra *transubstantiationem*, asserens cum corpore, et sanguine Christi esse in Eucharistia substantiam panis, et vini, non vero substantiam panis mutari in corpus, et substantiam vni mutari in sanguinem Christi; quæ conversio a catholicis appellatur *transubstantiatio*. Ejus discipuli in magno numero, magistro relicto, *Sacramentariorum* hæresim secuti sunt. 3. *Calvinus* primo fluctuavit,

vit, deinde sententiam suam circa Eucharistiam exposuit dicens, per panem, et vinum in nobis fidem excitari, per quam corpus Christi, quod in cœlo est, fit menti nostræ præsens, et ita virtutem suam in nos diffundit.

§. II.

Vera, et realis præsentia Christi in Eucharistia.

Q. Quomodo demonstratur vera, et realis praesentia Christi in Eucharistia?

℟. Demonstratur 1. ex verbis *promissionis*. Nam Christus *Joan.* VI. postquam mira panis multiplicatione quinque hominum millia exsaturavit, et, occasione accepta, locutus fuit de fide in Incarnationem, denique promisit, se daturum suum corpus in cibum, et suum sanguinem in potum hominibus. *Panis*, ait, *quem ego dabo, caro mea est .... caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quæ verba non possunt *metaphorice* intelligi, ut contendunt haeretici. Nam Christus cum cognovisset Capharnaitas ex ejus verbis scandalum passos esse, dicentes: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* non solum non emollivit sermonem, eum ad *metaphoram* detorquens, sed eandem sententiam jurejurando asseruit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non ha.*

habebitis vitam in vobis. Et constans Ecclesiæ Traditio semper de Eucharistia intellexit, et explicavit verba Christi in sensu litterali; ut videre est apud Patres. Adde Concilium Tridentinum *Sess*. XIII. cap 2. Demonstratur 2. ex verbis *institutionis*. Christus enim in ultima cœna Eucharistiam instituens dixit: *Accipite*, *et manducate*; *hoc est corpus meum*. *Accipite*, *et bibite*; *hic est sanguis meus*. *Matth*. XXVI. *Marc*. XIV. *Luc*. XXII. I, *Cor*. XI. Quæ verba omni studio hæretici conantur ad sensum *metaphoricum* detorquere; quia, ipsis concedentibus, si in sensu *litterali* intelligantur, evidenter demonstrant veram, et realem præsentiam Christi in Eucharistia. Sed quis Catholicus, spreta regula Augustini *lib*. III. de *doct*. *Christ*. *cap*. I. exponeret in sensu *metaphorico* verba Scripturæ, quæ in sensu *litterali* explicata non pugnant cum bonis moribus, nec cum aliis Scripturæ locis clarioribus? Quis concoqueret, Christum instituentem Sacramentum, novum fœdus sancientem, discipulos jam moriturum alloquentem, prævidentem Ecclesiam verba sua in sensu *litterali* accepturam, metaphorice locutum esse, nec mentem suam explicasse? Quis auderet asserere hæreticos mentem Christi melius fuisse assecutos, quam intellexerint Apostoli ejus, discipuli, et Ecclesia, *columna*, *et firmamentum veritatis*? Demonstratur 3. ex Ecclesiæ *praescriptione*, sive possessione. Ecclesia enim per XVIII. sæcula hoc dogma de præsentia vera, et reali

reali Christi in Eucharistia pacifice possedit, nec umquam ab ea fide discessit, ut testantur Patres omnium sæculorum, et errores nascentes statim confodit. Igitur vera, et realis est præsentia Christi in Eucharistia. Hinc Concilium Tridentinum merito *Sess.* XIII. *can.* I. definivit: *Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri* Jesu *Christi, sed dixerit tantum esse in eo, ut signo, aut figura* (ut Sacramentarii) *aut virtute* (ut Calvinus) *anathema sit*.

Q. Nonnulli Patres verba recitata *Joan.* VI. in diverso exponunt sensu; præsertim Augustinus ait *Enarrat.* in *Psalm.* XCVIII. ea *spiritualiter* intelligenda esse. Quid igitur ex iis colligitur pro Christi præsentia vera, et reali in Eucharistia?

R. 1. Illi Patres non rejecto sensu litterali, qui est de Eucharistia pro re nata exponunt recitata verba *Joan.* VI. in sensu tropologico; quod ipsis non est infrequens. 2. Augustinus ait ea verba *spiritualiter* intelligenda esse, quia caro Christi non datur nobis manducanda in frusta concisa, ut in macello venditur, sed modo *Sacramentali*. Unde inquit ipse Augustinus *Tract.* XXVII. in *Joan.* *Quid est ergo, caro non prodest quidquam? Sed quomodo illi* (scilicet Capharnaitæ) *intellexerunt. Carnem quippe intellexerunt sic, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.*

Q.Non-

Q. Nonne ait Augustinus *Tract.* XXV. in *Joan. Ut quid paras dentes, et ventrem? Crede, et manducasti*; proindeque non intelligenda esse ea verba *Joan.* VI. de Eucharistia, sed de Fide?

℟. Caput VI *Joan.* in tres partes distingui debet. In prima sermo est de multiplicatione panis. In altera de Fide in Christum. In tertia de Eucharistia. Porro verba Augustini referuntur ad secundam partem, in qua Christus ait: *Ego sum panis vitae, qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam*; quæ utique fidem in ipsum respiciunt.

Q. Plerumque in Sacris litteris verbum *est* ponitur pro *significat*, ut in illo *Exod.* XII. 11. *Est enim Phase*, idest *transitus Domini*. Cur in verbis, quæ dicuntur *institutionis* non potest similiter accipi verbum *est* pro *significat*, ita ut sensus sit: hic panis significat corpus meum; hoc vinum significat sanguinem meum?

℟. Ex eo, quod in nonnullis locis Scripturæ verbum *est* ponitur pro *significat*, non sequitur, sic accipiendum in omnibus Scripturæ locis. Neque enim ex eo, quod aliquod animal est asinus, sequeretur, hominem, qui est animal, esse asinum. Igitur juxta *Criticae* regulam dispicienda sunt, orationis series, subjecta materia, communis usus, ut clarescat verbum *est*, quo sensu sit exponendum. Verum in laudatis verbis *institutionis* verbum *est* poni *proprie*, non vero metaphorice ostendimus supra.

Q. Pa-

Q. Patres etiam post consecrationem vocant Eucharistiam *signum corporis Christi*; quomodo in ea est vera, et realis Christi praesentia?

℟. Patres vocant Eucharistiam *signum corporis Christi* non vacuum, sed continens rem, quam significat. Cum enim non sit absolute corpus Christi, sed ipsum latens sub specie panis, propterea vocant signum corporis Christi, h. e. Sacramentum.

III.

Modus, quo Christus præsens est in Eucharistia.

Q. Quo modo Christus præsens est in Eucharistia?

℟. 1. Nonnulli hæretici docent, Verbum in Eucharistia conjungi hypostatice cum pane, sicut in Incarnatione conjunctum est hypostatice cum natura humana; hi dicti sunt *Impanatores*, et eorum hæresis *Impanatio*. Alii volunt corpus Christi contineri in pane, sicut vinum in dolio; et hi appellati sunt *Consubstantiatores*, et ipsorum error *Consubstantiatio*. 2. Contendunt Novatores, qui admittunt Christi præsentiam realem in Eucharistia, hoc Sacramentum non differre a cæteris sacramentis, et in ipso usu manducandi constare; ita ut eo solo tempore, quo sumitur, sit in Eucharistia præsens corpus Christi. At Ecclesia Catholica tenet, Christum esse in Eucharistia per *Transubstan-*

stantiationem h. e. per conversionem panis in corpus, et vini in sanguinem; et quidem *permanenter* a consecratione usque ad specierum panis, et vini corruptionem. Nam 1. si post consecrationem manerent adhuc panis, et vini substantiæ in Eucharistia, falsæ fuissent illæ Christi propositiones: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*; nam pronomina *hoc, hic*, demonstravissent panem, et vinum, ac proinde sensus fuisset panem in sensu proprio esse corpus, et vinum in sensu proprio esse sanguinem Christi; quod falsum est. Recte igitur Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter*, ait: *credimus*, *et confitemur corpus, et sanguinem Christi sub speciebus panis, et vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina*. Et Concilium Tridentinum *Sess*. XIII. cap. 4. *Sancta haec Synodus declarat per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter, et proprie a Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio appellata est*. 2. Christus est *permanenter* in Eucharistia usque ad specierum corruptionem. Hæc enim fuit perpetua Ecclesiæ fides, quæ semper Eucharistiam sive domi, sive in templis asservavit, ad absentes detulit, et cultu *Latriae* adoravit; ut patet ex historia Ecclesiastica, et Patrum auctoritate. Hinc Concilium Tridentinum *Sess*.

XIII.

XIII. can. 4. sic definivit : *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post . . . . . anathema sit .*

Q. Cum dicitur de dolio : *hoc est vinum*, sensus est: hoc dolium vinum continet. Quare cum ait Christus : *hoc est corpus meum*, non ita explicatur : hic panis continet corpus meum ?

℟. Ratio disparitatis est, quia dolium ex usu communi destinatum est ad vinum continendum, sed panis non est destinatus ad continendum corpus ; ideoque illa verba de dolio dicta : *Hoc est vinum*, significant dolium vinum continere, non item verba Christi : *Hoc est corpus meum*, significant panem continere corpus Christi .

Q. Solum corpus Christi est sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini, an totus Christus sub utraque specie seorsim ?

℟. Totus Christus est sub utraque specie seorsim, et in qualibet specierum parte, facta separatione . Utrumque definivit Concilium Tridentinum *Sess.* XIII. *can.* 3. *Si quis negaverit, in venerabili Eucharistiae Sacramento sub, unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit .*

CAP.

CAP. III.

DE MATERIA, ET FORMA EUCHARISTIÆ; ET DE MINISTRO EUCHARISTIÆ TUM CONSECRANDÆ, TUM DISTRIBUENDÆ.

§. I.

MATERIA EUCHARISTIÆ.

Q. QUænam est Eucharistiæ materia? ℟. 1. Est panis, et vinum. Christus enim *Matth.* XXV. *Accepit panem . . . . et accipiens calicem*, utrumque consecravit: deinde dixit Discipulis: *Hoc facite*, *Luc.* XXII. 2. Panis debet esse triticeus, et vinum ex vite. Sic Eugenius IV. in *Decreto: Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite*. 3. Panis debet esse *azymus*, non vero fermentatus. Christus enim Eucharistiam instituit, *Matth.* XXVI. *Prima die azymorum*, cum solus panis azymus erat in usu; licet Græci contendentes Christum in fermentato pane consecrasse, panem fermentatum adhibeant; idque ex Ecclesiæ concessione. Dixerunt enim Patres in Concilio Florentino: *Definimus sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo Eucharistiam veraciter confici . . . . . Sacerdotesque conficere*

cere debere juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis, *sive Orientalis consuetudinem* . Nam sive panis sit azymus , sive fermentatus , non mutatur ejus substantia ; peccant tamen ministri ab Ecclesiæ suæ consuetudine recedentes . 4. Aqua naturalis vino consecrando est permiscenda ex antiqua Ecclesiæ consuetudine . Unde Concilium Tridentinum damnans Lutherum *Sess.* XXII. *can.* 9. ait : *Si quis dixerit* . . . . . *aquam non miscendam esse vino in calice offerendo*, *eo quod sit contra Christi institutionem* , *anathema sit* . Quæ tamen debet esse modicissima ; ait enim Eugenius IV. in *Decreto* : *cui* (nempe vino) *ante consecrationem aqua modicissima misceri debet* ; non vero una , aut altera gutta , ut nonnulli faciunt .

Q. Eucharistia habens duplicem materiam debet dici unum Sacramentum , an plura ?

℟. Unum est Sacramentum , quia unus est illius finis , nempe nutritio animæ spiritualis ; sicut panis , et vini unus est finis , nempe nutritio corporis .

Q. Licetne uti materia , de qua dubitatur, an sit panis triticeus , vel vinum ex vite ?

℟. Minime ; Eucharistia enim non est Sacramentum necessarium necessitate *medii* ad salutem ; solum enim in hujusmodi sacramentis , in extrema necessitate , fieri potest usus materiæ dubiæ .

§. I.

§. II.

FORMA EUCHARISTIÆ.

Q. Quænam est Eucharistiæ forma?

℞ Verba, quæ profert minister in consecratione: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, sunt sola, et essentialis forma Eucharistiæ. Nam Chrysostomus *hom.* II. in *Epist.* II. ad *Tim.* relatis iis verbis: *Hoc est corpus meum*, ait: *Hoc verbo proposita consecrantur*. Idem docuere alii Patres, quos secutus est Eugenius IV. *in Decreto*: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris; quibus hoc conficit Sacramentum*. Dixi 1. *sunt sola*; ad declinandam sententiam *Ambrosii Catharini*, qui sententiam secutus Græcorum duobus libellis conatur ostendere, verba, quæ sequuntur in Liturgia Graeca: *Fac panem istum praetiosum corpus Filii tui*; et in Latina Liturgia praecedunt, Eucharistiam consecrare: quae sententia licet non fuerit damnata in Concilio Tridentino, semper tamen displicuit Ecclesiae. Dixi 2. *et essentialis*; quia nobis verisimilior videtur sententia eorum Theologorum, qui adversus Thomistas tuentur, verba sequentia in calicis consecratione, scilicet: *Novi, et aeterni testamenti Mysterium fidei* etc. non pertinere ad essentiam formæ, tum quia sine illis verbis per verba priora: *Hic Calix sanguinis mei* exprimitur satis consecratio; tum quia sine

sine illis Graeci valide consecrant. Omnia tamen verba religiosissime proferenda sunt, cum non liceat in Sacramentis conferendis sequi probabilem sententiam, relicta tutiore. Imo gravis peccati reus esset sacerdos, si vel unum verbum, etiam ad formae essentiam non pertinens, voluntarie omitteret.

§. III.

MINISTER CONSECRANDAE EUCHARISTIAE.

Q. Quinam est minister consecrandae Eucharistiae?

℟. *Gnostici* etiam mulierculis, *Waldenses* cuilibet laico, modo sit probus, *Lutherus* omnibus Christianis fecit potestatem consecrandae Eucharistiae; licet ob ordinem disciplinae, nemo uti possit ea potestate, nisi legitime vocatus. Sed dogma fidei est, solum Sacerdotem, rite ordinatum, esse ministrum consecrandae Eucharistiae. Christus enim solos Apostolos alloquebatur, eorumque in Sacerdotio successores, cum ait: *Hoc facite*. Deinde haec verba continent praeceptum; quis diceret omnes fideles teneri ad praeceptum conficiendi Eucharistiam? Hinc Concilium Nicaenum I. *can.* 18. vetat Diaconos ministrare Eucharistiam Presbyteris, dicens; *Quod nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi*. Si igitur Diaconi non habent potestatem conficiendi Eucharistiam, quanto minus reli-

reliqui fideles ? Idem definiverunt Concil. *Lateran.* IV. et Eugenius IV. in *Decreto*. Denique Concilium Tridentinum. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, ut offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anhatema sit.*

Q. Christus etiam solis Apostolis dixit *Matth.* XXVIII. 19 *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, et tamen omnes fideles, urgente necessitate, habent potestatem baptizandi. Quare, etiamsi dixerit solis Apostolis: *Hoc facite*, colligi nequit, urgente necessitate, quemlibet fidelem Eucharistiam consecrare posse ?

℟. 1. Non est nostri ingenii sententiam Christi exponere; sed standum est Ecclesiæ interpretationi, quæ Traditione innixa, et adsistentia Spiritus Sancti adjuta definit, quid potestatis cuique sit proprium. 2. Ratio dissimilitudinis est, quia Baptismus, et Eucharistia non sunt paris necessitatis; ille est necessarius necessitate *medii* ad salutem; haec minime.

Q. Nonne Petrus I. *Pet.* II. 9. vocat quemlibet fidelem Sacerdotem dicens: *Vos genus electum, regale Sacerdotium ?* cur quilibet fidelis non potest Eucharistiam conficere ?

℟. Quilibet fidelis est Sacerdos improprie ad offerendum Sacrificium improprie dictum, scilicet Spirituale, ut sunt preces, laudes, et gratiarum actiones. Quod explicat ipse Petrus laudato loco v. 5. *Ipsi superaedi-*

fi

ficamini domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias :

§. IV.

Minister distribuendae Eucharistiae .

Q. Quinam est minister distribuendæ Eucharistiæ ?

℟. Solus Sacerdos est minister Ordinarius distribuendæ Eucharistiæ. Utrumque enim Christus præcepit Apostolis, et eorum in Sacerdotio Successoribus per ea verba : *Hoc facite*, scilicet consecrare, et distribuere : quia ipse utrumque fecit. Unde Ecclesia canit : *Cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, et dent caeteris*. Et Concilium Tridentinum *Sess.* XIII. *Cap.* 8. ait : *Semper in Ecclesia hunc morem fuisse, tamquam ex Apostolica traditione descendentem, ut Laici Eucharistiam a Sacerdotidus acciperent*. Dixi : *Ordinarius*; nam praxis priorum saeculorum docet, Diaconos ex Episcoporum, vel Presbyterorum commissione Eucharistiam ministrasse. Sic, aliis Conciliis omissis, *Carthaginense* IV. *can.* 18. statuit, ut *Diaconus praesente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*. Sunt igitur Diaconi distribuendae Eucharistiæ ministri *Extraordinarii*.

CAP. IV.

DE EUCHARISTIÆ SUBJECTO, ET DISPOSITIONIBUS IN EO REQUISITIS; DE NECESSITATE, ET EFFECTIBUS EJUS.

§. I.

SUBJECTUM EUCHARISTIAE.

Q. Quodnam est subjectum Eucharistiæ?

℞. Est homo baptizatus, viator, et compos rationis; baptizatus, quia baptismus est Sacramentorum janua; Viator, quia Eucharistia datur per modum cibi, et potus, quorum actuum sunt capaces soli homines viatores; Compos rationis, quia licet olim in Ecclesia Latina, ut hodie apud Graecos, etiam infantibus post baptismum ministrabantur Confirmatio, et Eucharistia; tamen cum a XII. saeculo hic mos exolevisset, Concilium Tridentinum hodiernam Ecclesiæ consuetudinem, quæ ad annos discretionis Confirmationem, et Eucharistiam differt, laudavit, et probavit. Hinc 1. Amentes a nativitate, qui nulla habent lucida intervalla, incapaces sunt Eucharistiæ; secus vero si lucida intervalla habeant; possunt enim in iis Eucharistia refici. 2. Energumeni ab Eucharistia arcentur, excepto mortis articulo ex Conc. Eliberitano *can.* 37. et si quieta ha-

habeant intervalla in iis suscipere possunt Eucharistiam etiam extra mortis periculum ex S. Thoma 3. p. q. LXXX. *art.* 9.

Q. Peccatori estne deneganda Eucharistia?

℟. 1. Deneganda est, si sit publicus peccator, ut sunt ex Rituali Romano *Excommunicati*, *Interdicti*, *manifestique infames*, *ut meretrices*, *Cuncubinarii*, *Fœneratores*, *Magi*, *Sortilegi*, *Blasphemi*. Huc pertinet gravissima Chrysostomi sententia *Hom* LXXXIII. in *Matth*. *Non parva vobis imminet ultio*, *si quemquam ullius culpae conscium hujus mensae participem esse concedatis*. *Sive quis dux militiae sit*, *sive praefectus*, *sive princeps diademate coronatus*, *indigne ne accipiat*, *prohibe*. 2. Si peccator sit occultus, et publice petat, non est deneganda; secus vero si petat privatim. Primum patet exemplo Christi, qui Judae occulto proditori Eucharistiam præbuit, ut observant Patres. Alterum constat; quia peccator nullum subit periculum infamiae. 3. Peccatori occulto, et privatim petenti non est deneganda Eucharistia, si peccatum sciatur ex Confessione Sacramentali, cujus sigillum nullo pacto violari potest. Saltem Sacerdos petat in hoc casu veniam loquendi; qua non concessa, Eucharistiam ministrare debet.

§ II.

DISPOSITIONES REQUISITAE IN SUBJECTO EUCHARISTIAE.

Q. Quænam dispositiones requiruntur in Subjecto Eucharistiae?

℟. Ex parte animæ requiritur 1. Status gratiæ sanctificantis prudenter existimatus; est enim Eucharistia Sacramentum *Vivorum*; unde qui cum conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedit, Sacrilegium admittit, ex Apostolo I. *Cor.* XI. 28. *Qui manducat indigne, judicium*, idest condemnationem, *sibi manducat*. 2. Immunitas ab affectu peccatorum venialium; quia licet peccata venialia non impediant fructum Eucharistiæ, imo per eam deleantur; tamen affectus ad ea, magna ex parte, fructum minuit. 3. Devotio; ut ait Chrysostomus *Hom.* LXX. *Nemo accedat cum nausea; nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes, et excitati*. Ex parte corporis requiritur 1. Jejunium naturale a praecedenti media nocte. Sic Augustinus *Epist.* CXVIII. ad *Januar. Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam reliqui cibi*. 2. Corporis mundities a nocturna pollutione, nisi ex fraude diaboli accidat, ut homo a Communione revocetur.

§ III.

§. III.

Necessitas Eucharistiæ.

Q. Estne necessarium Eucharistiam suscipere?

℞ Dogma fidei est, non esse necessarium necessitate *medii* ad salutem Eucharistiam *actu* suscipere. Nam per solum baptismum homo potest consequi æternam salutem, juxta sententiam Apostoli ad *Tit.* III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Unde Concilium Tridentinum *Sess.* XXI. *can.* 4. ait: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint necessariam esse Eucharistiae Communionem, anathema sit*. Dixi: *actu* suscipere; nam non desunt Catholici, qui putant Eucharistiam saltem in *voto* esse necessariam necessitate medii ad salutem, quod *votum* est implicitum in ipsa baptismi susceptione.

Q. Christus ait Joan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*; et Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Cur dicitur baptismus esse necessarius necessitate *medii* ad salutem; minime vero Eucharistia?

℞. 1. In ipsis locis recitatis se prodit dissimilitudo. Nam, *Nisi quis renatus fuerit* etc. est sententia generalis, quae nemi-

nem excipit; *Nisi manducaveris carnem* etc. sunt verba facta ad homines audientes, et præcepti capaces, h. e. adultos. 2. Disparitas est inter utrumque Sacramentum. Baptismus enim præbet primam gratiam, sine qua nullus salvus esse potest; at Eucharistia tribuit secundam gratiam, sine qua homo salvari potest, scilicet per primam gratiam jam per baptismum acceptam.

Q. Estne præceptum adultis Eucharistiam suscipere?

℟. Est præceptum divinum omnes adultos obligans ad suscipiendam Eucharistiam. Nam *Joan.* VI. 54. ait Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quæ verba utique præceptum continent. Ecclesia vero in Concilio Lateranensi IV statuit tempus, et modum, quo huic praecepto est satisfaciendum Cap. *Omnis utriusque sexus*, sic definiens: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctum pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum.*

Q. Estne praeceptum fidelibus non sacrificantibus Eucharistiam suscipere sub utraque specie?

℟. Ita mordicus tenent Protestantes, et Ecclesiam acerbe calumniantur, quasi suffurata sit laicis calicem. Sed nos asserimus dogma fidei esse, nullum existere hujusmodi

di praeceptum; quia totus Christus est tam sub una specie, quam sub utraque. Et ipse Christus, qui *Joan.* VI. 55. ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam*, dixit. v 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum*. Hinc Ecclesia justis de caussis interdixit laicis, et Clericis non sacrificantibus usum Calicis. Et definivit in Concilio Tridentino *Sess.* XXI. *Can.* I. *Si quis dixerit ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere anathema sit*.

Q. Nonne Christus *Joan.* VI. 54. utramque speciem conjunxit dicens: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*? Quare laicis usus Calicis subtrahitur?

℟. 1. Qui solam speciem panis accipit, sumit simul carnem, et sanguinem, quoad substantiam. 2. Particula *et* in Scripturis aliquando est disjunctiva, et valet pro *vel*; ut in illo loco *Exodi* XXI. 15. *Qui percusserit patrem, et matrem morte morietur*; h. e. unum, vel alterum fecerit. In hoc autem Joannis loco particulam *et* disjunctive positam esse Ecclesia ex Traditione explicavit.

Q. Christus in ultima Cœna Eucharistiam instituens dixit de calice: *Bibite ex eo omnes*. Cur non omnibus, etiam laicis, usus calicis patet?

℟. Verba illa dicta sunt ad Apostolos, et eorum in Sacerdotio Successores. Hinc soli Sacrificium offerentes debent utramque speciem sumere.

§. IV.

EFFECTUS EUCHARISTIAE.

Q. Quinam sunt effectus Eucharistiæ?

℟. Plures. 1. Augmentum gratiae sanctificantis. Nam ait Christus Joan. VI. 54. *Caro mea vere est cibus*, scilicet animae, ut, quemadmodum cibus corporalis addit vires corpori, sic Eucharistia adaugeat gratiam sanctificantem in anima. Hinc Concilium Tridentinum *Sess.* XIII. *cap.* 2. ait: *Sumi voluit Christus hoc Sacramentum, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur fideles*. 2. Remissio peccatorum venialium. Chrysostomus *Homilia* XLV. in *Joan.* sic scribit: *Hic sanguis nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc accenditur; mundat squalorem, et sordem*. Et Concilium Tridentinum *Sess.* XIII. *cap.* 2. *Sumi voluit Christus hoc Sacramentum, quo liberamur a culpis quotidianis*. 3. Perseverantia in bono; ait enim Christus *Joan.* VI. 57. *Qui manducat meam carnem in me manet, et ego in illo*. Munere autem in Christo est in bono perseverare. 4. Spiritualis delectatio. Unde Clemens V. in Concilio Viennensi ait: *In hoc Sacramen-*

lo habetur omne delectamentum , et omnis saporis suavitas , ipsaque dulcedo Domini degustatur : Quae tamen spiritualis delectatio non semper est sensibilis , sic Deo disponente , ad majorem suscipientis humilitatis exercitationem . 5. Vita aeterna tum animae , tum corporis . Sic quippe pollicitus est Christus Joan. VI. 55.. *Qui manducat meam carnem , et bibit meum sanguinem , habet vitam aeternam , et ego resuscitabo eum in novissimo die .*

SECTIO ALTERA

DE EUCHARISTIA, PROUT EST SACRIFICIUM.

CAP. I.

DE SACRIFICII DEFINITIONE, DIVISIONE; ET CIRCA EUCHARISTIAE SACRIFICIUM CATHOLICORUM DOCTRINA, ET HAERETICORUM ERRORE.

§. I.

SACRIFICII DEFINITIO, ET DIVISIO.

Q. Quomodo definitur Sacrificium?

℞. Sacrificium latius, et improprie acceptum definitur ex Augustino *lib.* X. *de Civ. cap.* 6. *Omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*; quo sensu quidquid Deo offertur dici potest Sacrificium. Strictius vero, et proprie acceptum definitur: *Oblatio externa, soli Deo facta, qua ad agnitionem humanae infirmitatis, et divinae majestatis, a legitimo ministro res sensibilis, et permanens, ritu mystico, consecratur, et mutatur*. In qua definitione *oblatio externa* locum habet *generis*, in quo conveniunt omnes nostrae oblationes; *consecratur, et mu-*

mutatur, denotant *differentiam* aliarum oblationum a Sacrificio proprie dicto : caetera verba exprimunt ministrum , et finem Sacrificii .

Q Quomodo dividitur Sacrificium ?

℟. Omissa divisione Sacrificii ratione *materiae* , et *modi* , quae non facit hic ad rem, dico dividi ratione *finis* in *Latreuticum* , quo supremum Dei dominium in res omnes creatas agnoscimus, et profitemur ; *Eucharisticum*, quo pro acceptis beneficiis gratias Deo agimus ; *Impetratorium* , quo nova beneficia a Deo postulamus ; et *Propitiatorium* , quo Deum iratum studemus placare .

§. II.

Circa Sacrificium Eucharistiae Catholicorum doctrina , et haereticorum error .

Q. Quaenam est Catholicorum doctrina , et quinam haereticorum error circa Sacrificium Eucharistiae ?

℟. Cum ad essentiam sacrificii strictius , et proprie accepti necessario requiratur tum mutatio , tum oblatio , Catholici utrumque agnoscunt in Sacrificio Eucharistiae , nempe victimam , seu Christum mutari , ut inferius explicabitur , et Deo offerri , ac proinde Eucharistiam esse Sacrificium proprie, et strictius acceptum . Haeretici , qui negant realem Christi praesentiam in Eucharistia , negant consequen-

ter Eucharistiam esse Sacrificium proprie dictum. Idem negavit etiam Lutherus, quamvis admisisset realem Christi praesentiam in Eucharistia, eumque non puduit in *lib.* de *Missa privata* scribere: *Tandem sibi a Dœmone suggestum, et persuasum fuisse, Missae Sacrificium abrogandum esse*. Volunti ergo Novatores non esse in nova lege, nisi Sacrificium spiritnale, et Eucharistiam esse meram repraesentationem Sacrificii Crucis, Christumque nobis dedisse mensam, in qua epulemur, non vero altare, super quod hostiam immolemus, et offeramus,

CAP.

C A P. II.

De Sacrificii Eucharistiae veritate, essentia, et proprietatibus

§. I.

Veritas Sacrificii Eucharistiae.

Q. Eucharistia estne Sacrificium vere, et proprie dictum?

℞. Dogma fidei est, Eucharistiam esse Sacrificium vere, et proprie dictum. Demonstratur 1. ex Scripturis. Malachias *Mal.* I. 10. praedixit in nova lege, rejectis Judæorum Sacrificiis, substituendum novum Sacrificium longe nobilius, et augustius: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ *oblatio munda* non est Sacrificium *Crucis*, quia illud fuit oblatum in uno loco Judææ; non est Sacrificium *Spirituale* bonorum operum, quia hoc non est novum, sed fuit ab initio mundi, nec substituendum erat loco antiquorum Sacrificiorum. Igitur est Sacrificium Eucharistiae. Et ita hanc Malachiæ prophetiam semper intellexerunt Patres, ip-

sum-

sumque Concilium Tridentinum *Sess.* XXII. *cap.* I. Rursus *Psal.* CIX. Christus praedicitur *Sacerdos secundum ordinem*, sive ritum, *Melchisedech.* At in qua vitae suae actione Christus ut *Sacerdos* se gessit *secundum ordinem*, sive ritum, *Melchisedech* nisi in ultima cœna, cum dedit suum corpus, et suum sanguinem sub speciebus panis, et vini? quemadmodum Melchisedech *Genes.* XIV 18. panem, et vinum *proferens*, sive offerens. erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit *Abrahae*. Unde Concilium Tridentinum *Sess* XXII. *Cap.* I. ait de Christo: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit*. Deinde Christus professus est, se in ultima ipsa cœna non solum dare Apostolis ad manducandum, et bibendum suum corpus, et sanguinem, sed pro ipsis tradere corpus, et effundere sanguinem: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*; *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, *qui* scilicet calix *pro vobis funditur*, ut est in Graeco textu. Igitur in ultima cœna Christus obtulit Sacrificium vere, ac proprie dictum; proindeque talis est etiam Eucharistia.

Ostenditur 2. ex Traditione. Longum esset, et inutile recitare Patrum omnium saeculorum testimonia, cum ipse *Kemnitius* ingenue fateatur Protestantium caussae traditionem adversari. Sic ait *Part* II. *Exam. Concil. Trident.* *Negari non potest, veteres*

res, *quando loquuntur de celebratione Coenae Domini*, *usurpare vocabula Sacrificii*, *immolationis*, *oblationis*, *hostiae*, *victimae*, *item uti verbis*, *offerre*, *immolare*, *sacrificare*. Sufficit in medium afferre, quatuor Concilia Oecumenica. Nicaenum I. vetans Diaconos ministrare Eucharistiam presbyteris, agnoscit in his potestatem offerendi eam: *Nec regula*, *nec consuetudo tradidit*, *ut ab illis*, *qui potestatem non habent offerendi*, *illi*, *qui offerunt*, *Christi corpus accipiant*. Ephesinum inquit: *Sanctum*, *ac vivificum*, *incruentum in Ecclesiis peragimus Sacrificium*, *corpus quod proponitur*, *et pretiosum sanguinem*. Chalcedonense probavit libellum contra *Dioscorum*, in quo asserebatur ejus culpa, qui omne frumentum emerat, *neque terribile*, *et incruentum celebratum esse sacrificium*. Tridentinum *Sess.* XXII. *can.* 9. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum*, *et proprium Sacrificium anathema sit*. Demum probatur 3. ex ratione theologica. Non enim fuit unquam ulla religio absque Sacrificio. Si igitur in Religione a Christo instituta Eucharistia non est verum Sacrificium, dicant hæretici, quodnam illud erit. Igitur ex omnibus his, quæ ostendimus, patet dogma fidei esse, Eucharistiam esse Sacrificium vere, et proprie dictum.

Q. Si Eucharistia non est Sacrificium *spirituale*, sed verum, et proprium, sive *externa oblatio*, cur Christus Samaritanæ interroganti, ubi esset adorandum an in Monte Ca-

Garizim, an in Templo Jerosolymitano respondit Joan IV. 21. *Venit hora . . . . . quando veri adoratores adorabunt in spiritu, et veritate ?*

℟. Christus iis verbis prædixit, abroganda esse Sacrificia Judaica, et iis substituendum novum Sacrificium, nempe Eucharistiam, quam veri adoratores adoraturi essent *in spiritu* h. e. captivantes intellectum in obsequium fidei, qua non videtur, sed creditur mysterium; *et in veritate*, quia, cessantibus sacrificiis Judaicis, quæ erant figuræ, et umbræ futurorum, advenit ipsa *veritas*, nempe Christus.

Q. Apostolus *Heb*. X. scripsit quod Christus per sacrificium crucis *una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*. Cur admittitur aliud sacrificium h. e. Eucharistia, inutile, et irrogans injuriam sacrificio crucis ?

℟. Christus *una oblatione*, nempe sacrificio crucis, *consummavit in aeternum sanctificatos* quoad sufficientiam pretii. Eucharistia vero est sacrificium, ut inquiunt, *applicationis* illius pretii. Illud fuit cruentum; hoc incruentum. Utrumque tamen unum omnino, et idem est quoad substantiam. Unde ait Concilium Tridentinum *Sess.* XXII. *cap.* 2. *Una est, eademque hostia. Idem nunc offerens ministerio Sacerdotum, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Igitur Eucharistia non est Sacrificium inutile, quia per illud nobis applicatur pretium Sacrificii crucis; non

non irrogat injuriam sacrificio crucis quasi offeratur in supplementum Sacrificii Crucis; cum unum prorsus, idemque sit quoad substantiam.

Q. Ad essentiam veri, et proprii Sacrificii necessario requiritur mutatio, h. e. mors victimæ, cum est vivens. Cum igitur Christus in Eucharistia non moriatur, quomodo Eucharistia est verum, et proprium Sacraficium?

℟. 1. In Eucharistia adest occisio, sive mors Christi *Mystica*. Nam vi verborum intelligitur separari corpus a sanguine, cum verba consecrationis panis innuant, ibi esse solum corpus, et verba consecrationis vini innuant ibi esse solum sanguinem; licet per *concomitantiam* non separentur, nec Christus vere moriatur. 2. vera Christi occisio, et mors factæ sunt in cruce, ac proinde non est necessarium, ut victima, h. e. Christus occidatur, sed tantum sufficit ut sistatur in altari, Deoque offeratur per actionem, quæ cum præcedenti occisione, et morte *moraliter* est conjuncta.

Q. Eucharistia est Sacramentum; quomodo potest esse etiam Sacrificium?

℟. Eucharistia est Sacramentum simul, et Sacrificium, sub diversa ratione; quatenus sub mysticis signis nobis datur, et gratiam largitur est Sacramentum, quatenus vero pro nobis Deo offertur est Sacrificium. Imo sacramenti ratio a Sacrificio pendet; ideo enim comeditur victima oblata, ut communicetur

sa-

sacrificio, sive ut adstantes perfecte sacrificii participes fiant.

§. II.

ESSENTIA SACRIFICII EUCHARISTIÆ.

Q. In quanam re sita essentia Sacrificii Eucharistiæ?

R. Theologi variant circa essentiam Sacrificii Eucharistiæ aliis in oblatione panis, aliis in fractione hostiæ, aliis in communione eam constituentibus. Nobis arridet sententia eorum, qui illam constituunt in consecratione; per consecrationem enim victima, nempe Christus, in altari sistitur, Deoque offertur, et *mystice* mutatur; nam corpus a sanguine vi verborum separatur, et cum vera, ac reali mactatione, quæ in Cruce facta est *moraliter* conjungitur. Reliqua pertinent ad integritatem Sacrificii Eucharistiae, non vero ad essentiam.

Q. Requiriturne ad essentiam Sacrificii Eucharistiae utriusque speciei consecratio?

R. Certum est utriusque speciei consecrationem esse de necessitate praecepti divini. Utramque enim speciem Christus consecrans dixit: *Hoc facite*. Utrum vero sit etiam necessaria ad essentiam sacrificii disputant Theologi, cum non conveniant circa ipsam sacrificii essentiam. Nos, qui constituimus eam in consecratione, putamus utriusque speciei consecrationem non esse necessariam de necessitate *essentiae* sacrificii, quia, solo pane

pane consecrato, mors Christi imperfecte saltem repræsentatur, scilicet habetur vi verborum corpus sine sanguine; licet conjungantur per *concomitantiam*.

§. III.

PROPRIETATES SACRIFICII EUCHARISTIÆ.

Q. Quænam sunt proprietates Sacrificii Eucharistiæ?

℟. 1. Est *Latreuticum*, et *Eucharisticum*, cum non possit melius significari Dei dominium in res omnes, et rectius pro collatis beneficiis in nos gratia Deo referri, quam illi offerendo suum Unigenitum. 2. Est *Propitiatorium*, et *Impetratorium*, quia ut ait Cyrillus Hierosolym. *Catech.* V. per illud, *eum* (scilicet Deum) *qui est benignissimus, propitium reddimus; et obsecramus Deum pro communi Ecclesiae pace . . . . et, in summa, pro iis omnibus, qui egent auxilio.*

CAP.

Q. Si Sacrificium Eucharistae est infiniti valoris cur multiplicatur?

℟. Quia effectus ejus finitus est. Unde cupossit adaugeri numerus, et disporitio eorum, pro quibus offertur necesse est, ut multiplicetur Eucharistiae Sacrificium ad tribuendum effectum illorum numero, et dispositioni respondentem.

Q. Quo pacto sacrificium Eucharistiae effectum producit; *ex opere operato*, an *ex opere operantis*?

℟. Producit effectum ex *opere operato*. Nam etiamsi minister sit improbus, qui sacrificium offert, tamen subjectum, pro quo offertur, si sit rite dispositum, effectum suum consequitur. Est enim *oblatio*, *quae nulla indignitate, aut malitia offerentis inquinari potest*; ex Concilio Tridentino *Sess.* XXII. *cap.* 1.

§. II.

Subjectum Sacrificii Eucharistiæ.

Q. Quid intelligitur nomine subjecti Sacrificii Eucharistiae?

℟. Intelligitur omnis ille, pro quo Sacrificium offerri potest.

Q. Quinam sunt illi, pro quibus offerri potest sacrificium?

℟. 1. Sunt omnes fideles sive justi, sive peccatores; illi ut perseverent in bono, hi ut convertantur. Unde Ecclesia in Canone sic Deum alloquitur. *Quae tibi offerimus*. ... *pro*

non recitet; hoc enim signum Communionis est. 2. Non licet offerri Sacrificium pro damnatis. In Inferno enim nulla est redemptio, sive nullus redemptionis fructus percipitur.

Q. Judas Machabaeus II. *Machab.* XII. jussit offerri sacrificia etiam pro iis, quorum sub tunicis inventa sunt post mortem Idolorum donaria, proindeque damnati erant; quomodo non licet offerri Sacrificium pro damnatis?

R. Judas Machabaeus putavit, eos vel ex ignorantia leviter peccasse, ideoque in Purgatorio tunc existere; vel ante mortem peccati poenituisse.

§. III.

Praeceptum adstandi Sacrificio Missae.

Q. Extatne praeceptum adstandi Sacrificio Missae?

R. Extat praeceptum tum naturale, tum Ecclesiasticum. Naturale quidem; nam lege naturae quis tenetur non solum actu interiori, sed etiam exteriori cultum *Latriae* Deo exhibere; ipsi gratias agere pro beneficiis acceptis; nova postulare; et peccatorum veniam petere; quod fit per Sacrificium Missae, quod unicum a Deo institutum est, et quod adstantes per Sacerdotem Deo offerunt. Ecclesiasticum quoque; extant enim Canones graviter fidelibus praecipientes, ut in Dominicis, festisque diebus Sacrificio Missae adsint. Q. Quo-

dotes, quibus potestatem consecrandi dedit, cum dixit Apostolis, eorumque successoribus: *Hoc facite*. Utrumque enim et ipse fecit, scilicet consecravit, et sacrificium obtulit.

§. II.

Stipendium Missæ.

Q. Estne licitum accipere stipendium pro Missa?

℟. Licitum est; nam non accipitur stipendium, tamquam pretium Missae, quod foret Simoniacum, sed pro sustentatione Sacerdotis. *Nescitis*, ait Apostolus I. *Cor*. IX. 13. *quoniam . . : . . qui altari deserviunt cum altari participant?* Et S. Thomas 2. 2. *q*. C. *art*. 2. *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis . . . sed quasi stipendium suae sustentationi*. Hinc Ecclesia consuetudinem Sacerdotum accipiendi stipendium pro Missa nunquam improbavit.

Q. Potestne Sacerdos per unam Missam satisfacere duobus stipendiis, applicando uni partem solitam, alteri partem sibi propriam fructus Sacrificii?

℟. Minime; damnavit enim Alexander VII. hanc propositionem: *Duplex stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti respondentem*.

§. III.

Locus , tempus , vestes , et Ceremoniæ , quibus celebrandum est Sacrificium Eucharistiæ .

Q. Quonam tempore , et loco celebrandum est Sacrificium Eucharistiæ ?

℟. 1. Quolibet die celebrari potest ab Aurora , ad Meridiem ; excepta feria VI. Majoris Hebdomadae , in qua omnino celebrari non potest , et feria V. in Cœna Domini , et Sabbato Sancto in quibus diebus missae privatæ prohibentur . 2. Jure communi non potest celebrari Sacrificium, nisi in Ecclesia , vel Oratorio ab Episcopo, vel consecrato , vel benedicto , ut statuit Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. Ut autem quis possit celebrare in Oratorio privato opus habet privilegio a S. Sede concedendo Circa tempus vero , et locum varii excipiendi sunt casus *necessitatis* , *dispensationis* , et *privilegii* , de quibus vide , qui res *Liturgicas* ex professo pertractarunt .

Q. Quibus vestibus celebrandum et Sacrificium Eucharistiae ?

℟. Prioribus sæculis, saeviente praesertim persecutione , vestibus communibus, licet nitidioribus , Sacrificium Eucharistiae celebratum est . At temporis processu Ecclesia , ut decenter Sacrificium Eucharistiae celebraretur , quasdam vestes instituit , *Amictum* , *Albam* , *Cingulum* , *Manipulum* , *Stolum* ,

et *Casulam*, quae debent esse ab Episcopo, vel ab alio Sacerdote facultatem habente benedictae, sine quibus Sacerdos celebrare non potest, et quorum quaeque suam mysticam habet significationem, ut ex tractatoribus *liturgicarum* rerum potest cognosci.

Q. Possuntne omitti ceremoniæ ab Ecclesia institutae pro celebratione Sacrificii Eucharistiae?

℟. Nonnulli *Casuistae*, qui opinati sunt *Rubricas* esse *directivas*, ut inquiunt, sine culpa eas omitti posse statuerunt; quo quid absurdius? Quasi Ecclesia in celebratione tanti Mysterii, quo nihil est sanctius, nihil praecepisset. Igitur dicendum est, Sacerdotem ceremonias non servantem peccare leviter, vel gravius pro rei levitate, vel gravitate.

DE

DE PŒNITENTIA.

CAP. I.

De Poenitentiæ notione, definitione, differentia, nominibus, et natura; et de potestate Ecclesiæ omnia omnino peccata dimittendi.

§. I.

Notio, et definitio Poenitentiæ.

Q. Quid significat Pœnitentia?

℟. Pœnitentia derivatur a verbo pœnitere, quod juxta vim nominis idem est, ac pœnam tenere, sive teneri pœna eorum, quæ ante commissa sunt, juxta illud Poëtae: *Pœnitet, et facto torqueor ipse meo*.

Q. Quomodo definitur Pœnitentia?

℟. Pœnitentia potest spectari, vel ut virtus, vel ut Sacramentum. Spectata ut virtus definitur: *Virtus moralis infusa, qua homo movetur ad odium, et detestationem peccati commissi, cum efficaci proposito non peccandi in posterum, justistiaeque divinae satisfaciendi*. Unde falsi sunt Novatores, qui asserunt: *Optima pœnitentia est nova vita*; quoties enim Scriptura pœnitentiam describit, semper lacrymas, gemitus, et tristitiam propter vitam anteactam comme-

morat. Spectata ut Sacramentum definitur: *Sacramentum a Christo institutum, ad delenda peccata post baptismum commissa, per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis*. Verba: *Sacramentum ad delenda peccata*, locum habent *generis*, in quo poenitentia convenit cum Baptismo, et Extrema Unctione; reliqua locum obtinent *differentiae* a Baptismo, Extrema Unctione, et reliquis Sacramentis.

§. II.

DIFFERENTIA POENITENTIÆ.

Q. In quo differunt virtus pœnitentiæ, et Sacramentum Pœnitentiae?

℟. 1. Virtus pœnitentiae interna esse potest; at Sacramentum Pœnitentiae est sensibile per actus externos, alioquin non esset Sacramentum. 2. Virtus pœnitentiae est pars Sacramenti Pœnitentiae; at Sacramentum Pœnitentiae est totum, quod, praeter actus pœnitentis, includit etiam absolutionem Sacerdotis. 3. Virtus pœnitentiae fuit omni tempore necessaria; at Sacramentum Pœnitentiae necessarium esse cœpit a Christi institutione.

§. III.

§. III.

Nomina, et natura Sacramenti Poenitentiæ.

Q. Quibus aliis nominibus appellatur Sacramentum Pœnitentiae?

℟. Variis nominibus appellatur. 1. A Concilio Tridentino *Sess.* XIV. *Cap.* 2. *Secunda post naufragium tabula*, nempe respectu baptismi. 2. *Baptismus laboriosus*, propter exercendam in eo virtutem pœnitentiae. 3. *Mysterium reconciliationis*, propter remissionem peccatorum. 4. apud Græcos *Exomologesis*, h. e. Confessio, et *Metanaea*, h. e. resipiscentia.

Q. Pœnitentia estne verum novae legis Sacramentum?

℟. Dogma fidei est, Pœnitentiam esse verum novae legis Sacramentum. Nam ad Sacramentum proprie dictum constituendum tria requiruntur, nempe collatio gratiae, institutio divina, et signum externum. At in Sacramento Pœnitentiae est collatio gratiae; remittuntur enim peccata juxta potestatem a Christo Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus factam, *Joan.* XX. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*: est institutio divina, tum quia Apostoli ad hoc ministerium solvendi, et ligandi a Christo missi sunt, tum quia auctoritate propria non poterant sol-

vere, et ligare, sive gratiam conferre, vel negare: adest denique signum externum, scilicet actus pœnitentis, vel Sacerdotis absolutio. Igitur est verum novæ legis Sacramentum. Patres omnium sæculorum hanc potestatem dimittendi peccata per absolutionem Sacerdotis esse in Ecclesia constanter docuerunt. Unde Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *Can.* 1. definivit: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit.*

Q. Quare potestas dimittendi peccata facta Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus *Joan.* XX. 22. non exponitur de peccatis per baptismum remittendis?

℞. Ita haeretici; sed absurde. Nam 1. Christus jamdiu potestatem baptizandi contulerat Apostolis; et ipsi baptizaverant. 2. Cum baptismus iterari non possit, sequeretur, sola peccata ante baptismum commissa esse remisibilia, quod adversatur generali Christi sententiae, *Matth.* XVIII. 18 *Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*

Q. Nonnulli Patres exponunt laudata verba *Joan.* XX. 22. de praedicatione Evangelii. Quid igitur prohibet sentire cum Calvinistis per verba *solvendi*, et *ligandi* intelligi potestatem prædicandi?

℞ 1.

℟ 1. Prædicatio Evangelii debet fieri omnibus omnino hominibus; at non omnium peccata solvenda, aut retinenda sunt; 2. Demus, per prædicationem peccata solvi; quo pacto verum est, per eam peccata retineri? Igitur si nonnulli Patres exponunt ea verba de Evangelii prædicatione, intelligendi sunt de prædicatione Evangelii praemittenda Confessioni Sacramentali, per quam Sacramentalem Confessionem et per Sacerdotis absolutionem solvuntur peccata; aut retinentur, non concessa absolutione.

§. IV.

Potestas Ecclesiæ omnia omnino peccata dimittendi.

Q. Habetne Ecclesia potestatem omnia omnino peccata dimittendi?

℟. *Montanistae*, et *Novatiani* hanc potestatem Ecclesiae denegarunt. Sed dogma fidei est, Ecclesiam posse omnia omnino peccata dimittere. Nam generatim ait Christus *Matth.* XVIII. 18. *Amen dico vobis .... quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis*. Unde Concilium Tridentinum Sess. XIV. *Cap.* I. inquit: *verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata ... Apostolis, et eorum successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit, et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Eccle-*

sia Catholica tamquam haereticos explosit, et condemnavit. Qui vero asserit, Ecclesiam vel unum peccatum dimittere non posse, sententiam Christi generalem utique labefactat.

Q. Nonne apud omnes vulgo receptum est, peccata in Spiritum Sanctum esse irremisibilia, dicente ipso Christo, *Matth.* XII. 32. *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum Sanctum non remittetur ei*, *neque in hoc saeculo*, *neque in futuro* ?

℞. Peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremisibilia, non defectu potestatis in Ecclesia, sed defectu conversionis ipsorum peccantium, qui ordinarie non convertuntur, rejiciunt quippe remedia ipsis a Deo parata; sicut dici solet aliquem morbum curari non posse, cum ægrotus medicinam, quae ipsi praebetur, respuit.

CAP.

CAP. II.

De Materia, et forma Sacramenti Poenitentae.

§. I.

Materia Sacramenti Poenitentiæ.

Q. Quænam est materia Sacramenti Pœnitentiæ?

℟. Theologi duplicem distinguunt materiam Sacramenti Pœnitentiæ; aliam *ex qua* constat et aliam *circa quam* versatur Sacramentum. Omnes conveniunt materiam, *circa quam* versatur Sacramentum Pœnitentiæ, esse peccata post baptismum commissa. Dissentiunt vero de materia, *ex qua* Sacramentum illud constat. Thomistæ volunt esse tres actus pœnitentis, nempe *Contritionem*, *Confessionem*, et *Satisfactionem*. Scotistae contendunt, esse ipsam absolutionem Sacramentalem, quae quatenus sonus sensibilis, est *materia*, quatenus vero significat peccatorum remissionem, est *forma*.

Q. Quaenam ex duabus recitatis sententiis est tenenda, Thomistarum, an Scotistarum?

℟. Nobis arridet sententia Thomistarum affirmantium tres actus pœnitentis esse materiam *ex qua* Sacramenti pœnitentiae, ita ut *Confessio* et *Contritio* sint essentiales

Satisfactio actualis ad integritatem Sacramenti pertineat. Nam a Concilio Tridentino *Sess.* XIV. *Cap.* 3. tres actus illi dicuntur *Pœnitentiae partes*. Cum igitur, fatentibus omnibus, non sint forma, dicendum est, eos esse materiam *ex qua* Sacramenti Pœnitentiae. Dixi: *satisfactionem actualem* ad integritatem Sacramenti pertinere; nam quamvis satisfactio *in voto*, h. e. desiderium satisfaciendi ad essentiam Sacramenti pertineat, et in ipsa Contritione comprehendatur; tamen ipsa *actualis satisfactio* deesse potest, vel ob infirmitatem pœnitentis, vel ob praematuram mortem; et tamen Sacramentum jam perfectum est.

Q. Si pœnitentis actus *Contritio*, *Confessio*, et *Satisfactio* sunt materia *ex qua* Sacramenti pœnitentiae; quare Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *Cap.*3. appellat eos *quasi materiam*?

R. Explicat Catechismus Romanus *de Sacr. Pœnit* §. 17. *Dicuntur quasi materia Sacramenti, non quia verae materiae rationem non habent, sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, Chrisma in Confirmatione*.

Q. Aliquando ministratur Sacramentum pœnitentiæ moribundis vi improvisi morbi correptis, sine Confessione peccatorum. Quomodo dicitur *Confessio* pars materiae *ex qua* Sacramenti Pœnitentiae?

R. Cum sententia *Thomistarum* non sit ab Ecclesia definita, illa *Scotistarum* adhuc dubia

bia est. Igitur in hisce casibus cum Sacramentum Pœnitentiae sit necessarium necessitate *medii* ad salutem, fit usus sententiae dubiae.

§. II.

Forma Sacramenti Poenitentiæ.

Q. Quaenam est forma Sacramenti Pœnitentiae?

℞. Sunt illa verba Sacerdotis: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Quorum ea sola: *Absolvo te*, videntur ad substantiam formæ pertinere, cum per ea sufficienter exprimatur effectus Sacramenti Pœnitentiae, nempe remissio peccatorum; reliqua videntur ab Ecclesia adjecta, ut pronomen *Ego* auctoritatem quandam significet; *a peccatis tuis*, ut clarius explicetur, absolutionem non proferri de censuris; *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, tum ob reverentiam, tum ad explicandam originem potestatis, quam habet Sacerdos; ipse enim est minister; et Deus est, qui dixit *Is.* XLIII. 25. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas*. Recitata autem verba esse formam Sacramenti Pœnitentiæ patet, tum quia *Eugenius* IV. ait in *Decreto: Forma hujus Sacramenti*, scilicet Pœnitentiæ, *sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo etc.* tum quia eam tradunt omnes libri Rituales.

Q. Est-

mi dolor, et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero; cui definitioni si addas ex eodem Tridentino: *cum voto* praestandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, scilicet *confitendi*, *et satisfaciendi*, habebis definitionem contritionis *Sacramentalis*.

Q. Quomodo dividitur Contritio?

℞. 1. Dividitur in *perfectam*, et *imperfectam*, quæ dicitur a Scholasticis Attritio. Perfecta est, quae concipitur ex motivo perfecto, nempe ex charitate Dei super omnia. Imperfecta, quæ oritur ex motivo imperfecto relate ad motivum contritionis perfectæ, nempe ex metu gehennæ, vel peccati turpitudine. 2. Contritio perfecta dividitur in contritionem perfectam ex *motivo* simul et graduum *intensitate*, ut est in eo, qui vehementi flagrat charitate, et in contritionem perfectam ex *motivo*, sed non ex graduum *intensitate*, ut est in eo, qui habet quidem charitatem Dei super omnia, sed adhuc debilem. 3. Contritio imperfecta, sive *attritio* vel habet admixtum aliquod initium inchoatæ charitatis, vel ex solo metu gehennæ, aut peccati turpitudine concipitur.

§. II.

§. II.

NECESSETAS, ET VIRTUS CONTRITIONIS.

Q. Estne necessaria contritio generatim in Sacramento Pœnitentiæ?

℟. Necessaria est necessitate *medii*, et *praecepti*, ita ut peccator sine ea justificari non possit. Duo enim includit generatim contritio, nempe odium vitæ veteris, et novæ propositum, quorum utrumque postulat justificatio, *Is.* LV. 7. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas*; en odium vitæ veteris: *et revertatur ad Dominum*; en propositum vitæ novæ: *et miserebitur ejus*; en justificatio. Et alii similes textus, quibus scatent sacræ litteræ. Dixi, etiam necessitate *praecepti*; Deus enim præcipit, ut utamur *mediis* necessariis ad salutem.

Q. Quænam est virtus contritionis perfectæ tam ex *motivo*, quam ex graduum *intensitate*.

℟. Hæc contritio, quam Theologi appellant *intensitate* perfectam, justificat hominem peccatorem ante Sacramentum, *Joan.* XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo . . . . et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. I. *Pet*. IV. 3. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Qui amor, quæ charitas, sive contritio *intensitate* perfecta si non justificaret per se, et ante Sacramentum, falsæ essent recitatæ sen-

sententiæ. Unde ait Concilium Tridentinum *Sess. XIV. cap. 4. Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam* (h. e. quando datur in subjecto) *esse contingat, hominemque Deo reconciliare, antequam hoc Sacramentum*, nempe Pœnitentiæ, *actu suscipiatur*. Igitur contritio *intensitate* perfecta justificat ante Sacramentum.

Q. Quænam est virtus contritionis perfectæ quidem ex *motivo*, nempe charitatis, sed graduum *intensitate* debilis?

℟. Hæc contritio non justificat hominem ante Sacramentum reipsa susceptum, nisi forte in casu necessitatis. Nam ut homo possit ex virtute solius contritionis justificari, requiritur, ut ea sit vehemens. Ait enim Deus *Joel.* II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra*. Et *Deuteron.* IV. 29. *Si quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae*. Quod utique dici non potest, habere locum in eo, qui movetur ex contritione perfecta quidem ex *motivo*, sed graduum *intensitate* remissa, et debili. Unde Catechismus Romanus *Part.* II. de *instit. Sacram. Pœnit.* ait: *Ut hoc concedamus, contritione peccata deleri*, nempe extra Sacramentum, *quis ignorat eam adeo vehementem, acrem, et incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum peccati magnitudine aequari, conferrique possit?* Dixi; *nisi forte in casu necessitatis*. Nam-

Ec.

satis dispositus esse censetur ad recipiendam in Sacramento Pœnitentiæ gratiam sanctificantem? Hanc controversiam licet definire noluerit Concilium Tridentinum, tamen satis declaravit Ecclesiæ sensum, cum docuit *Sess.* VI. *Cap.* 6. inter dispositiones ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam debere locum habere initium saltem charitatis: *illumque*, ait, (nempe Deum) *tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*. Igitur, ut attritio justificet in Sacramento Pœnitentiæ, debet habere adjunctam charitatem saltem, imperfectam, et inchoatam.

Q. Nonne invaluit effatum apud veteres Theologos: *In Sacramento Poenitentiae homo ex attrito fit contritus?*

℟. Sensus hujus effati est, hominem, qui ante justificationem est quidem *attritus*, quia timet gehennam, et habet initium charitatis, in Sacramento Pœnitentiæ fieri *contritum*, quia recipit in eo gratiam sanctificantem; quemadmodum fides dicitur *informis* sine gratia sanctificante, cum ea vero conjuncta dicitur *formata*.

§. III.

§. III.

CONDITIONES CONTRITIONIS, UT SIT PARS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Q. Quas conditiones debet habere contritio, ut sit pars Sacramenti Pœnitentiæ?

℞. 1. Debet esse *Supernaturalis*, h. e. elicita ex motivo supernaturali, scilicet per per fidem cognito, et auxilio supernaturali. Nullus enim actus naturalis potest hominem ad gratiam disponere, ut demonstratum est in Tractatu de *Gratia*. 2. Debet esse *appretiative* summa. Optandum quidem esset, eam esse *intensive* summam; sed cum id nonnisi *aliquando contingat*, ut ait Concilium Tridentinum *Sess.* IV. *Cap.* 3. sufficit, ut sit *appretiative* summa, h e. ut homo æstimet peccatum esse summum malum, quia opponitur summo bono, nempe Deo, paratusque sit omnia, et vitam ipsam libenter amittere, quam rursus Deum offendere. 5. Debet esse *Universalis*, h. e. debet homo omnia peccata detestari, et odio habere; qui enim de omnibus peccatis gravibus non dolet, de nullo vere dolet.

CAP.

C A P. IV.

De Confessionis Sacramentalis definitione, necessitate, integritate, secreto, et modo ejus peragendæ.

§. I.

Definitio, et necessitas Confessionis Sacramentalis.

Q. Quomodo definitur Confessio?

℟. Definiri potest: *Accusatio legitima peccatorum facta Sacerdoti competenti ad veniam virtute clavium obtinendam*. Dicitur 1. *Accusatio*, quia peccata non sunt exponenda modo historico, et ad ostentationem, sed animo se accusandi, et se reum exhibendi. 2. *Legitima*, h. e. omnibus suis circumstantiis vestita. 3. *Facta Sacerdoti competenti*, h. e. jurisdictionem habenti. 4. *Ad obtinendam veniam*; quibus exprimitur effectus confessionis 5. *virtute clavium*, quia Minister vere absolvit potestate sibi a Christo per Ecclesiam concessa.

Q. Estne necessaria peccatorum Confessio?

℟. *Novatores* eam, ut inutilem, traduxerunt; omnes tamen docuerunt, eam non esse divinæ institutionis, sed novum esse inventum *Innocentii* III. in Concilio Lateranensi

ranensi IV. et praeceptam Canone: *Omnis utriusque sexus*; ideoque juxta ipsos liberam esse. At Catholici tenent, ut dogma fidei, confessionem peccatorum esse divinae institutionis, et necessariam jure divino. Nam Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, ut judicium, *Joan.* XX. 22. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; in quo judicio minister est judex, et peccator reus. Sed judicium haberi non potest absque criminum cognitione. Igitur peccator ex divina institutione debet peccata sua confiteri. Hinc ab Ecclesiæ incunabulis Sacramentum Pœnitentiæ nunquam ministratum est absque peccatorum confessione a peccatore Ministro pœnitentiae facta; ut probari posset excurrendo a tempore Apostolorum per omnia sequentia saecula, et testimonia Patrum referendo. Sufficit recitare auctoritatem Concilii Tridentini, quod Scriptura, et Traditione innixum ita definivit *Sess.* IV. *Can.* 6. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel necessariam esse jure divino . . . . anathema sit.*

Q. Quae sunt divinae institutionis non possunt ab Ecclesia abrogari. Si igitur Confessio peccatorum est divinitus instituta, quo pacto eam abrogavit *Nectarius* Patriarcha Constantinopolitanus?

℞. *Nectarius* non abrogavit Confessionem Sacramentalem, sed abolevit munus Presbyteri Pœnitentiarii, cui omnes suo tempore

re peccata tenebantur confiteri, et satisfactionis vel publicae, vel privatae modum accipere, ex occasione scandali, quod secutum erat per publicam confessionem peccati, ad quam ille Pœnitentiarius quandam Matronam adegerat. Nectarius statuit, ut quisque probaret seipsum, ei cui Sacerdoti vellet, peccata sua confiteretur, ut erat antiqua consuetudo.

Q. Non legimus veteres sanctos confessionem frequentasse. Nonne dicendum est eam esse novum inventum?

℟. Hoc est argumentum *negativum*, quod nullius est ponderis contra evidentissima testimonia, quae stant pro perpetua, et constanti traditione, et contra Ecclesiae auctoritatem.

§. II.

Integritas, et secretum confessionis sacramentalis.

Q. Quomodo facienda est confessio sacramentalis, ut sit integra?

℟. Integritas duplex est; alia *materialis*, alia *formalis*. Prima est, qua omnia omnino peccata, quot in seipsis coram Deo sunt, exponuntur, altera est qua exponuntur peccata, quæ post diligens examen menti occurunt. Integritas *materialis* non est præcepta, cum non sit semper in hominis potestate nec Deus jubeat impossibilia sed sufficit integritas *formalis*.

Q.

Q. Quænam peccata aperienda sunt, ut confessio sit integra integritate *Formali* ?

℟. 1. Aperienda sunt omnia peccata gravia, et circumstantiae, quæ mutant peccati speciem ex. gr. Si quis furatus est in loco Sacro, non sufficit si dicat. *Furatus sum*, sed debet adjicere: *in loco sacro*; idque jure divino, ut definivit Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *can.* 7. *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur . . . . et circumstantias, quae peccati speciem mutant . . . . . anathema sit*. 2. Aperiendae sunt circumstantia, quæ intra eamdem speciem peccatum insigniter augent, vel minuunt: et id etiam ex præcepto divino. Nam licet Concilium Tridentinum hanc controversiam inter Catholicos agitatam noluerit definire, utpote coactum ad damnandos hæreticos: tamen illæ ipsæ rationes, quibus motum damnavit hæreticos, qui docebant confessionem peccatorum, et circumstantiatum speciem mutantium liberam esse, militant etiam pro accusatione necessaria circumstantiarum, quæ speciem insigniter augent, vel minuunt. Nimirum Sacramentum pœnitentiæ exercetur ad formam judicii. Ut vero judex possit accuratum de reo judicium ferre, omnes omnino circumstantias nosse necesse est. Dixi ab initio omnia peccata *gravia*; nam venialia sunt materia libera, non

non vero necessaria Sacramenti Pœnitentiæ .

Q. Quid est Secretum Confessionis ?

℟. Secretum Confessionis spectari potest vel in Pœnitente, vel in Sacerdote . Pœnitens nulla lege tenetur peccata sua publice confiteri , sed secrete . *Non cogit Deus*, ait Chrysostomus *Homil.* XXI ad *Pop. in medium procedentes* , *quae peccavimus*, *enumerare* . Sacerdos vero prohibetur jure naturali , divino , et Ecclesiastico, vel nutu , vel scripto , vel verbis revelare , quae in Confessione audivit ; Jure *naturali* , quia natura non patitur , ut quod nobis sub secreto commissum est , alteri reveletur , praesertim cum ex ejus revelatione oriatur secretum committentis infamia ; Jure *divino* , quia Christus Sacramentum instituens voluit , ut non esset intolerabile , et infamiae , et aliquando vitae periculi occasio ; Jure *Ecclesiastico* , sic enim statuit Concilium Lateranense IV. *Can. Omnis utriusque sexus : caveat omnino Sacerdos* , *ne verbo* , *aut signo* , *aut alio quovis modo* , *aliquatenus prodat peccatorem . . . Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare ; non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus* , *verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum* . Hoc secretum nominari solet Sigillum Confessionis .

Q. Quaenam sub sigillo confessionis custodienda censentur ?

℟. Omnia , quae in Confessione Sacramentali deteguntur h. c. peccata tum gra-

 via ,

via, tum levia, socii criminis, ipsae poenitentis tentationes, naturales defectus, et quidquid revelatum molestiam Pœnitenti afferret.

Q. Si Sacerdos interrogetur a Judice de crimine, quod in Confessione audivit, quid debet respondere?

R. Potest, et debet, etiam addito juramento, si quaeratur, respondere se id nescire. Ea enim, quae in Confessione audit, scit ut Dei minister, non vero ut homo. Cum igitur interrogatus sit ut homo, potest jurare, se nescire.

§. III.

MODUS PERAGENDÆ CONFESSIONIS SACRAMENTALIS.

Q. Quo modo peragenda est Confessio Sacramentalis?

R. Debet habere sexdecim conditiones, quas Theologi memoriae caussa his versiculis comprehendunt;

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Nec non nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata,

CAP.

CAP. V

De Satisfactionis Sacramentalis definitione, necessitate; de operibus satisfactoriis, et modis ea adimplendi; nec non de Indulgentiis.

§. I.

Definitio, et necessitas Satisfactionis Sacramentalis.

Q. Quomodo definitur Satisfactio Sacramentalis?

℟. Definitur: *Voluntaria toleratio pœnae a Sacerdote impositae ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, et expungendam pœnam temporalem.*

Q. Estne necessaria hujusmodi Satisfactio?

℟. Lutherani, et Calvinistae docent, eam esse injuriosam satisfactioni Christi, qui ita pro nobis satisfecit, ut per ejus merita nobis, sine nobis, non solum remittatur culpa, sed tota pœna. Aliquam vero pœnam non rejiciunt ad cavenda peccata futura. Catholici tamen tenent, dimisso per Sacramentum Pœnitentiae peccato, non semper dimitti totam pœnam temporalem, eamque luendam vel per opera satisfactoria in hac vita, vel

per ignem Purgatorii in altera, juxta illud Augustini in *Psal.* L. *Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non dimisisti*; ecce dimissio peccati, nec dimissio totius poenæ. Quod etiam *Davidi* accidisse discimus ex Sacris litteris, cui quamvis perfecte contrito dixerit *Nathan* II. *Reg.* XII. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum*, tamen, cum nondum ei dimissa fuerit pœna temporalis, subjunxit Propheta: *Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Unde Concilium Tridentinum *Sess.* VI. *can.* 3. sic definivit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori ita culpam remitti, et reatum aeternae pœnae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae in hoc saeculo, vel in futuro Purgatorio, antequam ad regna Cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Dixi: *non semper dimitti totam pœnam temporalem*; nam aliquando contingit, ut tota pœna temporalis remittatur, cum scilicet Contritio, et charitas est vehementissima; quae tamen rarissima est.

Q. Nonne Deus sæpissime in Scripturis, pollicetur peccatori pœnitentiam agenti, se omnium iniquitatum ejus non recordaturum?

℟. Deus non recordatur omnium iniquitatum peccatoris pœnitentiam agentis, quatenus dimittit culpam, et pœnam æternam. Sed remanet pœna temporalis luenda ob amorem ordinis justitiæ, quem culpa turbaverat, ob bonum commune, et ob bonum ipsius pœnitentis, in cujus commodum cedunt illæ pœnæ temporales.

§. II.

§. II.

Opera Satisfactoria , et modus ea adimplendi .

Q. Quænam sunt opera satisfactoria ?

R. Sunt bona opera , quibus pœna temporalis redimitur , quæque imponi debent a Sacerdotibus in Sacramento Pœnitentiæ , ut pœnitentes luant pœnam temporalem , quæ remanet , dimisso peccato . Quæ omnia sic patent . 1. Bona opera sunt præsertim obediens ærumnarum acceptatio , jejunium , eleemosynae , et oratio , quibus operibus Deus sæpissime in Sacrá Scriptura pollicetur pœnæ remissionem . 2. Iis operibus vere , et proprie *redimitur* peccatum , vel peccati pœna ; sic præcipue de eleemosyna legitur *Dan.* IV. 24. *Peccata tua eleemosynis redime* . Unde Tertullianus *lib. de Pœnit. Cap.* I. ait : *Dominus hac pœnitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem* . Et Ambrosius *lib de Elia* , et *Jejun. cap.* 20. *Redime peccatum . . . . . redime te operibus tuis* , *redime te pecunia tua* . 3. Opera satisfactoria imponi debent a Sacerdotibus in Sacramento Pœnitentiæ . Inquit enim Leo M. *Epist.* XCI. *Mediator Dei , et hominum hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem , ut et Confitentibus actionem pœnitentiae darent , et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent* . Et

Concilium Tridentinum *Sess.* **XIV.** *can* **15.** *Si quis dixerit claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clavium . . . . . anathema sit.*

Q. Quo modo adimplenda sunt opera satisfactoria?

℟. Olim ea erant adimplenda ante absolutionem, et juxta diversa tempora, modo graviora, modo mitiora, modo per tempus diuturnius, modo brevius, attenta etiam peccatorum diversitate, imponebantur, exceptis casibus, vel imminentis persecutionis, vel periculi mortis; tunc enim dabatur absolutio Pœnitentibus, nondum satisfactione expleta. Hodie Ecclesia consuetudinem habet imponendi satisfactionem, sed persolvendam post absolutionem, et ad filiorum imbecillitatem se demittens, rigorem temperavit. Accepta tamen satisfactio, nisi a Sacerdote definitum sit tempus, debet quamprimum adimpleri, quæ si in statu peccati mortalis persolvatur, nullum meritum habet; nam ait D. Thomas *Supp* **3.** *Part. q.* XIV. *art.* **2.** *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria*; si in actu peccati peracta sit, est iterum repetenda; absurdum est enim hominem satisfacere peccato per novum peccatum.

§. III.

§. III.

Natura, existentia, et effectus Indulgentiarum.

Q. Quid est Indulgentia?

℟. Est *remissio pœnae temporalis, quae post remissionem culpae remanet subeunda, facta extra Sacramentum ab eo, qui habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiae*. Est enim in Ecclesia thesaurus meritorum Christi, per quæ non solum sufficienter, sed etiam abundanter Christus pro nobis satisfecit, et cui adjiciuntur etiam B. Mariæ Virginis, et Sanctorum merita ex passione Christi virtutem suam haurientia, de quo Ecclesia accipit, et solvit Deo pro pœna temporali peccatori debita; ut si quis potestatem habens satisfaceret pro quodam debitore, solvens ex publico Ærario nummos aureos centum, quos ille debet creditori,

Q. Ecclesia habetne potestatem concedendi hujusmodi Indulgentias?

℟. Post nonnullos hæreticos Lutherus primus acerrime insurrexit contra hanc Ecclesiæ potestatem; eumque secuti sunt Calvinus, et Zuinglius At Catholici tenent dogma fidei esse, Ecclesiam hanc potestatetem habere. Nam 1. Christus ante passionem promisit Petro *Matth*. XVI. 19. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum . . . . . . quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Deinde post Resurrectionem dixit Apostolis

 Matth.

Matth. XVIII. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis*. His autem verbis omni tempore creditum est, Christum dedisse Ecclesiæ potestatem non solum dimittendi peccata, et poenam æternam, sed etiam pœnam temporalem, quæ, iis dimissis, remanet solvenda. Unde Tridentin. *Sess.* XXV. *decret. de Indulg.* inquit: *Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et Sanctorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, et praecipit, atque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*.

Q. Quinam sunt effectus Indulgentiarum?

℞. 1. Remittunt pœnam a Sacerdote in Sacramento Pœnitentiæ impositam, et eam, quæ esset imponenda, si antiqui Canones Pœnitentiales vigerent. Generalis enim est Christi sententia *Matth.* XVIII. 18. *Quaecumque solveritis . . . . erunt soluta*. Pœna tamen, sive satisfactio a Sacerdote imposita, prætermittenda non est; tum quia nemo certo scit se indulgentiam consecutum esse, tum quia satisfactio illa non solum *pœnalis*, sed etiam *medicinalis* est. 2. Remittunt pœnam temporalem coram Deo luendam vel in hac, vel in altera vita. Sic expresse S. Thomas 3. *p. Suppl.* q. XXV. *art.* 1. *ait*: *Quidam dicunt, quod indulgentiae non valent ad solvendum a reatu pœnae, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur . . . Sed haec opinio non videtur*

ve-

vera , *quia est expresse contra Privilegium Petro datum* , *ut* , *quod in terra remitteret* , *in Coelo remitteretur* . 3. Cum Indulgentiae aliae sint *partiales* , aliae *Plenariae*, illae remittunt partem poenae tum *canonicae* h. e. juxta Canones Poenitentiales infligendae, tum coram Deo solvendae, quae parti illi canonicae poenitentiae respondeat; istae nempe *Plenariae* remittunt totam poenam temporalem quam Ecclesia condonare optat, et intendit si fideles rite dispositi indulgentiam consequi nitantur per maximum fervorem charitatis, et propositum satisfaciendi Deo quantum humana infirmitas patitur. 4. Indulgentiae applicari possunt etiam animabus in Purgatorio patientibus. Si enim *juvari* possunt *fidelium* suffragiis, ut ait Concilium Tridentinum *Sess.* XXV. *Decret.* de *Purgatorio* nihil prohibet eis etiam indulgentias applicari, et prodesse.

CAP. VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE; CASUUM RESERVATIONE; A CENSURIS ABSOLUTIONE, ET EFFECTIBUS IPSIUS SACRAMENTI.

§. I.

MINISTER SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Q. QUinam est Minister Sacramenti Pœnitentiae?

℟. *Waldenses*, et *Wiclefistae* docuerunt, esse quemlibet hominem, modo sit probus. *Lutherus*, qui docuit sola fide impium justificari, statuit Ministrum esse quemcumque, qui, etsi per jocum, verba absolutionis proferat ad fidem excitandam. *Kemnitius* hoc ministerium coarctavit ad eos tantum, qui a populo sunt ad illud deputati. Nos Catholici tenemus ut dogma fidei, Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse eum solum, qui habet potestatem *Ordinis*, et *Jurisdictionis*. 1. Requiritur potestas *Ordinis*; nam Christus non omnibus, sed solis Apostolis dixit *Joan.* XX. 22 *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Et Ecclesia hoc ministerium esse proprium duntaxat eorum, qui sunt in Sacerdotio Apostolorum successores, semper intellexit. Hinc Ambrosius *lib.* I. *de Pœnit*. *Cap.* I. ait: *Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus*. 2. Requiritur potestas *Juris-*

risdictionis, quam necessariam esse Christus ostendit cum dixit Apostolis *Joan.* XX. 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; et postea subjunxit: *Amen dico vobis*; *quorum remiseritis etc.* Unde Eugenius in *Decreto* ait: *Minister hujus Sacramenti*, nempe Poenitentiae, *est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris*. Idque confirmavit Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *cap* 7 Et revera Sacramentum Poenitentiae ad formam judicii ministrandum est; nemo autem judicium exercere potest absque jurisdictione.

Q. Quotuplex est Jurisdictio?

℟. Duplex *ordinaria*, et *delegata*. Ordinaria competit illi, qui habet curam animarum, ut Parochus in sua Parochia, Episcopus in sua Dioecesi, Pontifex in universa Ecclesia, Superiores Regulares in suis familiis. Delegata est ea, quae committitur Sacerdoti non habenti animarum curam.

Q. Quis potest jurisdictionem delegare?

℟. Concilium Tridentinum *Sess.* XXII. *de Ref. cap.* 15. statuit, ut nemo nisi ab Episcopo ad saeculares absolvendos delegari possit in propria Dioecesi. Dixi 1. *Saeculares*; nam ad absolvendos *Regulares* sufficit jurisdictio delegata a Superiore familiae. Dixi 2. *in propria Dioecesi*; nam Episcopus non potest in aliena Dioecesi delegare jurisdictionem, quam in ea non habet.

Q. Potestne quilibet simplex Sacerdos absolvere in articulo, vel in periculo mortis?

℟. Potest, etiamsi sit degradatus, suspen-

sus, excommunicatus. Ita enim statuit Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *Cap.* 7. *Pie admodum, ne hac ipsa occasione pereat, in eadem Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possint.*

§. II.

CASUUM RESERVATIO.

Q. Quis potest casus sibi reservare?

℟. Summus Pontifex in universa Ecclesia, et Episcopus in sua Diœcesi possunt sibi casus reservare, h. e. certa peccatorum genera sibi reservare absolvenda, ita ut nemo sive potestate *ordinaria*, sive *delegata* instructus, ea absolvere valeat. Hanc potestatem tam in Summo Pontifice, quam in Episcopis semper agnovit Ecclesia. Unde Lutherani, qui potestatem reservandi casus irrident, insolentissimae insaniae insimulandi sunt, cum dixerit Augustinus: *quod universa facit Ecclesia utrum faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.* Igitur merito Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *Can.* II sic definivit: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus . . . . anathema sit.*

Q. Quinam possunt absolvere a casibus reservatis?

℟. 1. Illi ipsi, qui casus sibi reservant. 2. Qui

Qui a Pontifice, vel ab Episcopo, qui casus reservavit, obtinuerit absolvendi facultatem.
3. Quilibet Sacerdos in articulo mortis: tunc enim, ut declaravit Concilium Tridentinum, nulla est reservatio.

§ III.

Absolutio a Censuris.

Q. Quid est Censura?

℟. Est *pœna Ecclestiastica medicinalis privans baptizatum delinquentem, et contumacem usu communium bonorum spiritualium.*

Q. Quotuplex est Censura?

℟. Triplex: Excommunicatio, quae si sit *minor*, definitur: *Censura Ecclesiastica privans participatione passiva, sive susceptione Sacramentotum*; si sit *major*, definitur: *Censura Ecclestiastica separans a qualibet licita communione fidelium.* Suspensio, quæ est *Censura Ecclesiastica privans Clericum usu potestatis, sive juris Ecclestiastici.* Interdictum, quod est *Censura Ecclesiastica prohibens usus quorumdam Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et sepulturae Ecclesiasticae.* De Censuris diffusim, et ex professo tractant scriptores Theologiae *Moralis*.

Q. Quinam possunt ferre censuras, et ab iis absolvere?

℟. Omnes Superiores habentes jurisdictionem spiritualem in foro externo possunt ferre censuras in subditos contumaces, et ab iis

ab-

absolvere vel per se, vel per ministros delegatos. Absolutio a Censuris semper debe praecedere peccatorum absolutionem.

§. IV.

EFFECTUS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Q. Quinam sunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?

℟. Plures 1. Remissio peccatorum. 2. Infusio gratiæ sanctificantis, quam comitatur chorus omnium virtutum, et donorum Spiritus Sancti. 3. Gratia *Sacramentalis*, sive jus fundatum in gratia sanctificante ad auxilia actualia contra tentationes; *sanat* enim *Deus non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut praestet etiam, ne peccemus*, ait Augustinus *lib. de natur.* et *grat. Cap.* 26. 4. Reviviscentia meritorum, quae homo ante peccatum comparaverat. Unde ait Ambrosius, seu quivis auctor *lib. de filio prodigo*: *Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.*

DE

DE EXTREMA UNCTIONE .

C A P. I.

De Extremæ Unctionis nominibus , definitione , et natura .

§. I.

Nomina , et definitio Extremæ Unctionis .

Q. Quibus aliis nominibus nuncupatur Extrema Unctio ?

℞. Apud Latinos dicitur etiam *Sacramentum Exeuntium* , *Unctio sacri olei* . Apud Græcos *Sanctum oleum* , *Oratio unctioni olei conjuncta* .

Q. Quomodo definitur Extrema Unctio ?

℞. Definiri potest : *Sacramentum a Christo Domino institutum , quo infirmi de vita periclitantes per unctionem olei , et Sacerdotis orationem obtinent sanitatem morborum spiritualium , imo et corporalium , si id animae expediat* .

§. II.

§. II.

NATURA EXTREMÆ UNCTIONIS.

Q. Extrema Unctio estne verum novæ legis Sacramentum?

R. Dogma fidei est, extremam unctionem esse verum novæ legis Sacramentum. Nam ad Sacramentum constituendum tria requiruntur nempe *collatio gratiae*, *institutio divina*, et *signum externum*. At in Extrema Unctione est *collatio gsatiae*; per eam enim remittuntur peccata, quæ sine gratiæ collatione remitti non possunt. *Jacob*.V. 14. inquit Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei*: est *institutio divina*; quia solius Dei est signo sensibili, et materiali collationem gratiæ adjungere: non deest *signum externum*, nempe unctio olei, et preces Sacerdotis. Igitur est verum novæ legis Sacramentum. Hinc Chrysostomus, *lib*. III. de *Sacerd*. ait: *Sacerdotes non tantum cum nos regenerant, sed etiam post regeneratione m admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur quis in vobis? ait Apostolus, adducat Presbyteros Ecclesiae*. Et Eugenius IV. in *Decreto*: *Quintum Sacramentum est extrema Unctio*; et expositis extremæ unctio-

nis

nis materia, forma, ministro, et effectibus, interpretatur de Extrema unctione locutum esse Jacobum Apostolum *Jacob.* V. 14. Unde Concilium Tridentinum Scriptura, et Traditione innixum sic definivit *Sess.* XIV. *can.* I. *Si quis dixerit Extremam unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum . . . anathema sit .*

Q. Epistola Jacobi non est canonica, quomodo probatur ex ea, Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis?

℟. Ita somniant hæretici, ut Extremam Unctionem expungant ab albo Sacramentorum. At 1. non est ipsorum, sed Ecclesiæ definire, quinam sint libri divini, quinam Apocryphi; Ecclesia vero habet in Canone Epistolam Jacobi. 2. Etsi ipsis concederemus Epistolam Jacobi non esse canonicam; quomodo possent evertere perpetuam, et constantem Ecclesiæ traditionem, quæ a tempore Apostolorum Extremam Unctionem, ut Sacramentum, agnovit?

Q. Unctio, de qua loquitur Jacobus, est eadem illa, quam adhibebant Apostoli *Marc.* VI. 13. ad curandos infirmos. Cum illa Apostolorum non fuerit Sacramentum; cur ista Jacobi Sacramentum dicitur?

℟. Non convenit inter Theologos unctionem ab Apostolis adhibitam ad curandos infirmos fuisse eamdem illam, de qua loquitur Jacobus. Utcumque sit; vel illa Apostolorum fuit etiam Sacramentum, et tunc præter curationem, tribuebat etiam gratiam; vel fuit

fuit umbra, et figura Extremæ Unctionis, quæ in nova lege erat, ut Sacramentum, constituenda; et propterea non fuit Sacramentum.

CAP. II.

DE MATERIA, ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I.

MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS.

Q. Quænam est materia Extremæ unctionis?

℟. Materia Extremæ Unctionis duplex est *remota*, et *proxima*. 1. Materia *remota* est oleum. *Jacob.* V. 14. *Ungentes eum oleo*; quod debet esse ab Episcopo benedictum ex Concilio Tridentino *Sess.* XIV. *cap.* 1. Utrum vero hæc Episcopi benedictio requiratur de necessitate Sacramenti, an ex præcepto Ecclesiæ disputatur inter Theologos. Nobis verosimilius videtur eam benedictionem non requiri de necessitate Sacramenti. Nam in Ecclesia Græca ipsimet Presbyteri, non vero Episcopus, benedicunt Oleum antequam infirmum inungant; nec reprobavit eum morem Ecclesia Latina in Concilio Florentino; imo Clemens VIII. probavit in *Instructione* ad Episcopos Latinos, in quorum Diœcesibus versantur. Sed quia in Sacramentis confe-

ferendis non licet uti sententia probabili, relicta tutiore, ideo omnino Oleum infirmorum ab Episcopo benedictum adhibendum est. 2. Materia *proxima* sufficiens ad valorem Sacramenti est unica Unctio, unctionem enim simpliciter præcepit Jacobus *Jacob*. V. 14. *Ungentes eum oleo*. Tamen ex præcepto Ecclesiæ varia, et multiplex adhibetur Unctio pro variis Ecclesiarum ritibus. In Ecclesia Latina ait Eugenius IV. in *Decreto*: *ungendus est infirmus in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem*; quæ postrema in mulieribus omittitur. In Ecclesia Græca frons, et facies tantum inunguntur. In quibusdam Ecclesiis particularibus alia viget inungendi partes corporis disciplina, quam Ecclesia non improbavit, ut constat ex diversis Ritualibus a *Menardo*, *Launoy*, et *Martene* relatis.

§. II.

§. II.

FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

Q. Quænam est forma extremæ Unctionis?

℟. Latini hac utuntur forma, quam tradunt Eugenius IV., in *Decreto*, et Concilium Tridentinum *Sess.* IV. *can.* I. *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, per auditum, per odoratum, per gustum, per tactum*; et sic de cæteris. Græci vero hanc aliam formam adhibent, ut videri potest apud Arcudium lib. V. *Conc. Pater sancte medice animarum, et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quae ipsum detinet corporis, et animae, infirmitate.* Utraque forma, ut claret, est deprecativa; ac proinde cum consonet Jacobo dicenti *Jacob.* V. 14. *Oratio fidei*; et ab utraque Ecclesia Latina, et Græca semper usurpata sit, dogma fidei est, eam esse legitimam, et convenientem. Utrum vero etiam forma indicativa valeat, ut si diceretur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, disputatur. Nobis verosimilius videtur, hanc non esse legitimam Extremæ Unctionis formam.

CAP.

C A P. III.

De Ministro , Subiecto , et effectibus Extremæ Unctionis .

§. I.

Minister Extremæ Unctionis .

Q. Quinam est minister Extremæ Unctionis ?

℞. Dogma fidei est , solum Sacerdotem esse ministrum extremæ Unctionis . Nam ait Jacobus *Jacob.* V. 14. *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Ecclesiae* . Per *Presbyteros* autem non intelliguntur aetate seniores e populo , ut contendunt haeretici ; tum quia in Scripturis Presbyteri sunt gradu, et Sacerdotii dignitate majores I. *Tim.* IV. 14 *Noli negligere gratiam* , *quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* , h. e. superiorum Ecclesiae ; tum quia Jacobus non dixit simpliciter *Presbyteros* , sed *Presbyteros Ecclesiae* h. e. qui Ecclesiæ præsunt ; et ita semper intellexit Sanctorum Patrum. Traditio Unde Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. can. 4. sic definivit : *Si quis dixerit , Presbyteros Ecclesiae , quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur , non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos , sed aetate seniores in quavis communitate , ob idque*

que propriam Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. Græci advocant, et adhibent septem simul Prebyteros. In Ecclesia Latina per unum tantum ministrum extrema Unctio ministratur et confertur; quae *valide* a quolibet Sacerdote ministratur; *licite* quoque ab eo, qui vel ordinariam, vel delegatam habet jurisdictionem.

§. II.

SUBJECTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Q. Quinam homo est subjectum Extremae Unctionis?

℞. Graeci hoc Sacramentum homini pœnitenti etiam sano ministrant. Latini vero soli infirmo conferunt ex *Decreto* Eugenii IV *Concilio* Tridentino, et libris Ritualibus. Quae Latinornm praxis congruentior est Scripturae; ait enim Jacobus, *Jacob*. V. 14. *Infirmatur quis in vobis?*

Q. Quid requiritur in subjecto Extremae Unctionis?

℞. 1. Status gratiae sanctificantis; est enim Extrema Unctio Sacramentum *vivorum*. 2. Contritio saltem imperfecta, nempe attritio; quia secundario delet etiam peccata, *Jacob* V. 14. *Et si in peccatis sit remittentur ei*; at peccatum dimitti nequit in Sacramento sine contritione saltem imperfecta h. e. attritione. 3. Intentio habitualis, quae praesu-
mit-

mitur esse in eo, qui baptismum suscepit, et vivit in Ecclesiae sinu, ut scilicet adjuvetur iis Sacramentis, quae Christus instituit ad hominum salutem. 4. Optat Ecclesia, ut infirmus non pervenerit ad ultimum vitae spiritum. Sic Concilium Mediolanense I. *Sacramentum Extremae Unctionis curet Parochus, ut aegroto conferat dum integris est sensibus*. Sed satis est, ut ante morbum fuerit rationis capax;qui enim nunquam usum rationis habuit, non fuit capax peccati, cujus reliquias ut deleret, instituta est Extrema Unctio.

§. III.

Effectus Extremæ Unctionis.

Q. Quinam sunt effectus Extremae Unctionis ?

℟. Primario delet reliquias peccatorum, nempe inclinationem in malum, torporem, et hebetudinem in bono, praebendo infirmo novum robur ad resistendum tentationibus,quae in vitæ exitu solent esse graviores, et alleviat: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus*. *Jacob* V. 14. Secundario dimittit peccata tum lethalia, tum venialia: Jacobus enim sine discrimine ait *Jacob*. V. 14. *Et si in peccatis sit remittentur ei*. Unde in ipsa forma Extremae Unctionis dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*. **Dixi** ***secundario***; alioquin si

si Extrema Unctio primario peccata deleret, Sacramentum poenitentiae non esset necessarium necessitate *medii*, contra ac alibi demonstravimus.

Q. Potestne iterari Extrema Unctio?

℞. Utique. Sic enim statuit Concilium Tridentinum *Sess.* XIV. *cap.* 3. *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile discrimen inciderint.*

DE

DE ORDINE.

CAP. I.

De Ordinis acceptione, definitione, et natura.

§. I.

Ordinis acceptio, et definitio.

Q. Quid significat Ordo?

R. Ordo vel significat relationem rei ad rem, ut patris ad filium, domini ad subditum, vel certum hominum statum certis muneribus obeundis destinatum, ut Ordo Religiosus, Ordo Clericalis. Hic tamen ordo translato nomine effectus ad caussam accipitur pro ipsa actione, qua quis ad Eucharistiam, aliave munia religionis sacra obeunda destinatur. Unde melius diceretur ordinatio, quam ordo. Nos tamen exemplum aliorum Theologorum sequentes receptum usu nomen ordinis retinemus.

Q. Quomodo definitur Ordo?

R. Definiri potest: *Ritus sacer, quo potestas spiritualis traditur ad Eucharistiam consecrandam, aliave religionis ministeria rite, et ex officio obeunda*. Ii vero, quibus haec potestas traditur dicuntur *Clerici*, sive vocati in sortem Domini, et *Ecclesia-*

stici, quia prae caeteris vocati ad religionis officia.

§. II.

ORDINIS NATURA.

Q. Ordo estne verum novae legis Sacramentum?

R. Novatores docuerunt, Magistris *Luthero*, et *Calvino*, Ordinem non esse verum novae legis Sacramentum; et ad obeunda religionis officia quemlibet a plebe delegari posse, ita ut cessante delegatione plebis, qui erat Clericus fiat Laicus, quemadmodum, ea accedente, qui erat Laicus, factus fuerat Clericus. Sed dogma fidei est, ordinem, saltem aliquem, esse verum novae legis Sacramentum. Nam 1. ad Sacramentum constituendum tria sunt necessaria, scilicet collatio gratiæ, institutio divina, et signum externum. At in Ordine adest collatio gratiæ; nam ait Apostolus II. *Tim.* 1.6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum*: adest institutio divina; non enim poterant Apostoli propria virtute, et potestate gratiam Dei tribuere: non deest signum externum, nempe manuum impositio. Igitur Ordo est verum novae legis Sacramentum. 2. Augustinus *lib. II. cont. Ep. Parmen. cap.* 13, loquens de Baptismo, et Ordine ait: *Utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat*. Et Leo M. Epist. LXXXI. ad *Dioscor. Alaxand.* ait de Ordine: *Ne tantae benne-*

nedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum; et alii. 3 Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. *Can.* 3. sic definivit: *Si quis dixerit Ordinem, sive Sacram Ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum* . . . . *anathema sit.*

Q. Ubi in Vulgata legitur II. *Tim.* I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam*, in textu Originali habetur *Charisma*, quod significat gratiam *gratis datam*: Quomodo asseritur ordinationem tribuere gratiam sanctificantem?

℟ In Scriptura Sacra *Charisma* non semper significat gratiam *gratis datam*; ut in illo Apostoli I. *Cor.* XII. 31. *Æmulamini Charismata meliora*, h. e. gratiam sanctificantem; quia est donum omnibus gratiis *gratis datis* excellentius. Quod vero *Charisma* in textu II. *Tim.* I. 6. non significet gratiam *gratis datam*, patet ex eo, quod gratiae *gratis datae* tunc temporis passim fidelibus concedebantur; ac proinde Apostolus nihil singulare Timotheo communicasset, de quo eum admonebat.

Q. Apostoli fuerunt ordinati a Christo Sacerdotes sine Sacramento. Cur hodie Ordo Sacramentum dicitur?

℟. Christus habebat in Sacramenta potestatem *Excellentiae*; h. e. potestatem tribuendi effectum Sacramenti sine *Sacramento*. Sed hodie in Ecclesia effectus Sacramenti tribuitur per Sacramenti susceptionem.

M 2 CAP.

CAP. II.

DE VARIORUM ORDINUM EXISTENTIA, DIFFERENTIA, NATURA, ET IPSORUM MATERIA, FORMA, ET MUNERIBUS.

§. I.

EXISTENTIA VARIORUM ORDINUM.

Q. Existuntne in Ecclesia varii Ordines?

℟. De fide est existere. Nam Concil. Trident. *Sess.* XXIII. *Can.* 2. sic definivit: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit*. Latini septem habent Ordines, *Presbyteratum*, *Diaconatum*, *Subdiaconatum*, *Acolithatum*, *Exorcistatum*, *Lectoratum*, et *Ostiariatum*, ut declaravit Eugenius IV. in *Decreto*, et Concil. Trident. *Sess.* XXII. cap. 2. Græci vero præter *Presbyteratum*, *Diaconatum*, et *Subdiaconatum* admittunt solum *Lectoratum*. Igitur existentia plurium ordinum pertinet ad fidem; minime vero numerus.

Q. Episcopatus estne Ordo?

℟. Certum est esse ordinem; sed cum in ordinum enumeratione illius mentionem non fecerit Concil. Trident. nonnulli arbitrati sunt non esse ordinem a Presbyteratu distinctum, sed characteris Sacerdotalis extensionem. Nobis vero verisimilior videtur sententia eorum, qui

qui statuunt Episcopatum esse ordinem distinctum a Presbyteratu, quia habet distinctam materiam, formam, et potestatem.

§. II.

Differentia Ordinum.

Q. Quænam differentia intercedit inter Ordines?

R. 1. Dogma fidei est, Episcopos esse presbyteris superiores et Ordine, et Jurisdictione; *Ordine* quidem, nam Episcopi possunt ordinare presbyteros, nec viceversa presbyteri Episcopos, vel presbyteri presbyteros. Sic Apostolus scribens Tito Episcopo *Tit.* I. 5. ait: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitatem presbyteros*: etiam *jurisdictione*; Episcopi enim succedunt Apostolis, quibus jus erat corrigendi, et puniendi presbyteros. Unde Ecclesia eam potestatem in Episcopis semper agnovit. Hinc Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. *can.* 3. definivit: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores . . . . anathema sit*. 2. Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus sunt ordines majores, et Sacri, quia nimirum adnexa est eis lex continentiae, et obligatio horas Canonicas recitandi. 3. Reliqui ordines dicuntur *minores*, quia in illis recensitæ rationes desunt; quorum unus alio superior est, quemadmodum unus gradus alio proximius ad

 finem

finem ducit; sunt enim gradus, per quos in Sacerdotium tenditur, ut ait Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. *c.* 2.

§. III.

NATURA RECENSITORUM ORDINUM.

Q. Singuli ordines suntne Sacramenta?

℟. Dogma fidei est Presbyteratum esse Sacramentum. Nam demonstratum est supra, ordinem esse Sacramentum. Igitur saltem in supremo ordine, nempe Presbyteratu, quatenus complectitur Episcopatum, et simplicem Presbyteratum debet constare ratio Sacramenti. 2. Certum est, sed non ex fide, Diaconatum esse Sacramentum. In ordinatione enim Diaconi dicit Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur* h. e. gratiam sanctificantem cum Spiritu Sancto; est igitur in eo collatio gratiæ, ac proinde etiam divina institutio: nec deest signum externum, scilicet materia, et forma. Ergo est Sacramentum. Dixi: *sed non ex fide*; nam Ecclesia non damnavit Theologos contrarium sentientes, qui tamen notam *temeritatis* non effugiunt. 3. Circa reliquos ordinarii non conveniunt Theologi; alii affirmant, alii negant. Qui tenent sententiam negantem Subdiaconatum, et reliquos ordines esse Sacramenta, firmantur in eo, quod in horum ordinum collatione nulla fit mentio infusionis gratiæ. Qui sententiam affirmantem sequuntur, auctoritate Eugenii IV. in *Decreto*

Con-

Concilii Tridentini *Sess.* XXIII. *cap.* 2 et S. Thomæ 3. *p. sup pl. q.* XXXVII. art. 3. innituntur. Illa igitur verisimilior est; hæc gravibus momentis fulcitur.

Q. Si singuli ordines sunt Sacramenta, sequiturne Sacramenta Ecclesiæ esse plura quam septem?

℟. Minime. Nam Ordo est unum ex septem novæ legis Sacramentis, quod veluti *genus* varias sub se *species* continet; ideoque Ordines dicuntur unum Sacramentum Ordinis. Et revera singuli ordines ad unum finem diriguntur, et sunt *veluti gradus*, *per quos in Sacerdotium tenditur*, ut loquitur Concilium Tridentinum.

§. IV.

MATERIA, FORMA, ET MUNERA SINGULORUM ORDINUM.

Q. Quænam sunt materia, forma, et munera Episcopatus?

℟ 1. Materia Episcopatus est *manus impositio*. Sic ordinarunt Apostoli Episcopos. II. *Tim.* I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum*; sic semper ordinavit Ecclesia. 2. Forma sunt illa verba, quæ comitantur manuum impositionem: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. 3. Officia Episcopatus sunt prædicare, ministrare omnia Sacramenta, leges ferre ad disciplinam pertinentes, rebelles cen-

suris, et pœnis Ecclesiasticis plectere. Sunt enim Episcopi successores Apostolorum et habent eadem Apostolorum officia.

Q. Quænam sunt materia, forma, et officia Presbyteratus?

℟. 1. Materia Presbyteratus est secunda manuum impositio ex tribus, quas Episcopus adhibet in Presbyterorum ordinatione. Sic dicente Paulo ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris*; explicat Leo M. *Epist.* I. ad *Episcop. Afric. cap.* 2. *Quid est manus cito imponere, nisi ante aetatem maturitatis . . . . Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* 2. Forma Presbyteratus est oratio adjuncta secundæ manuum impositioni, quæ est materia; forma enim materiam comitatur. Sed quia graves Theologi contendunt, materiam Presbyteratus esse instrumentorum porrectionem, scilicet calicis cum vino, et patenæ cum hostia, et formam verba, quæ eam comitantur; ideo omnia religiosissime servanda sunt. 3. Officia Presbyteratus sunt offerre, benedicere, præesse, baptizare, prædicare; ut legere est in *Pontificali*. Habent etiam presbyteri in ordinatione potestatem solvendi, et ligandi; sed cum hæc potestas exerceri non possit sine jurisdictione, necesse est, ut actu eam exerceant, jurisdictio iis delegetur.

Q. Quænam sunt materia, forma, et officia Diaconatus?

℟. 1. Materia Diaconatus est manuum impositio. Nam Apostoli ordinarunt Diaconos

nos per manuum impositionem *Act.* VI. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus*; et per manuum impositionem semper Diaconos ordinavit Ecclesia. 2. Forma est oratio adjuncta manuum impositioni: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum Diabolo, et tentationibus ejus*. Aliis tamen Theologis placet, materiam Diaconatus esse porrectionem libri Evangeliorum; formam vero verba adjuncta. 3. Officia Diaconatus sunt ministrare ad Altare, baptizare, et prædicare. Sic enim legitur in Pontificali Romano: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare*.

Q. Quænam sunt materia, forma, et officia Subdiaconatus?

R. 1. Materia Subdiaconatus est traditio calicis vacui cum patena vacua superposita. *Subdiaconus*, ait Concilium Carthaginense I. *Can.* 5. *cum ordinatur, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum*. Item juxta graves Theologos traditio libri Epistolarum. 2. Forma sunt verba, quæ traditionem materiæ comitantur. Sic cum Episcopus tradit tangendum calicem vacuum, cum patena vacua dicit: *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. 3. Officia Subdiaconatus sunt quinque, calicem, et patenam offerre Diacono, aquam in calicem fundere, suscipere populi oblationes in Missa ad Offertorium, legere in Missa Epistolam, *Pallas*, *corporalia*, et *Purificatoria* abluere. Hæc præscribuntur in *Pon-*

tificali Romano. Onera vero Subdiaconorum sunt 1. habere verum, et non fictum patrimonium, vel Ecclesiasticum beneficium: 2. recitare horas canonicas: 3. servare omnimodam, et perpetuam castitatem: 4. habitum, ac tonsuram clericalem deferre.

Q. Quænam sunt materia, forma, et officia minorum Ordinum?

R. Patent recitando materiam, et formam eorum, prout præscribuntur in *Pontificali Romano*. Ex quibus etiam colliguntur ipsorum officia. 1. Acolythatus duplicem habet materiam, et formam; cum traditur candelabrum habens cereum extinctum dicuntur ab Episcopo hæc verba: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini*. Cum vero traduntur urceoli vacui, dicit Episcopus: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, et aquam in Eucharistiam . . . . . in nomine Domini*. 2. Materia, et Forma Exorcistatus est traditio libri exorcismorum his Episcopi verbis: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem manus imponendi super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos*. 3. Materia, et forma Lectoratus est traditio libri Lectionum per hæc verba Episcopi: *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei ministraverunt ab initio*. 4. Materia, et Forma Ostiariatus est tradi-

tio

tio clavium Ecclesiae cum his verbis Episcopi : *Sic age, quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur*.

Q. Prima tonsura estne Ordo?

℟. Minime; sed est Ecclesiastica ceremonia ad ordines disponens; quamvis in jure Canonico dicatur latiori sensu *ordo clericalis*, pro statu scilicet clericali, cui qui adscriptus est, gaudet privilegio *fori*, et *canonis*.

CAP. III.

De Ordinis Ministro, et Subjecto.

§. I.

Minister Ordinis.

Q. Quinam est Minister Ordinis?

℟. 1. Dogma fidei est, Episcopum esse Ministrum ordinarium cujuscumque Ordinis. Ita enim definivit Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. *Can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos . . . non habere potestatem confirmandi, et ordinandi . . . anathema sit.* Quod et dixerat Eugenius IV. in *Decreto*: *Ordinarius minister*, nempe Ordinis, *est Episcopus*. Unde in Ecclesia semper Episcopi ordinarunt jure ordinario. 2. Tres Episcopi

 con-

convenire debent ad ordinandum Episcopum, non jure divino, sed Ecclesiastico. Ita enim cautum fuit in variis Conciliis, Arelatensi I. Nicæno I. Antiocheno, aliisque; et hæc fuit perpetua Ecclesiæ disciplina derivata ab exemplo Ordinationis Episcopalis Timothei, qui non fuit ordinatus a solo Paulo, sed cum impositione *manuum Presbyterii*, h. e. Episcoporum, ut explicat Chrysostomus. Dixi: *non jure divino*, *sed Ecclesiastico*. In eo enim aliquando dispensatum est. Sic Gregorius M. ad *Augustinum* in Anglia Episcopum scribens *lib.* II. *Epist.* 64. declaravit: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes*. Unde ex dispensatione sedis Apostolicæ potest unus Episcopus Episcopum *valide*, et *licite* ordinare. 3. Solus Episcopus est minister Presbyteratus, et Diaconatus, tum quia in *Actis* legimus solos Apostolos, quibus succedunt Episcopi, Presbyteros, et Diaconos ordinasse; tum quia ex perpetua Ecclesiae traditione deprehendimus Presbyteros, et Diaconos nunquam, nisi ab Episcopis fuisse ordinatos. 4. Simplices Presbyteri possunt esse ministri *Extraordinarii* Subdiaconatus, et minorum Ordinum. Nam hoc privilegium conferendi Subdiaconatum, et minores ordines concessum esse simplicibus Presbyteris patet ex Gelasio Papa Ep. IX. *Tom.* IV. Concil. *Meminerit Presbyter sibi nulla ratione concedi sine Summo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus*

ha-

habere faciendi . Et revera quosdam Abbates ex privilegio minores ordines Regularibus sibi subjectos conferre notum est .

§. II.

Subjectum Ordinis .

Q. Quodnam est subjectum Ordinis ?

R. 1. Mulier est incapax Ordinis , ab eo enim prohibetur jure divino . I. *Cor.* XIV. *Mulieres in Ecclesia taceant , non enim permittitur eis loqui , sed subditas esse , sicut et Lex dicit* . 2. Homo non baptizatus est incapax ordinis . Baptismus enim est janua , et fundamentum omnium Sacramentorum . 3. Utrum pueri ante usum rationis sint capaces Ordinationis , disputant Theologi ; verisimilior videtur esse negantium sententia ; quia Ordo certas leges habet , quas cognoscere necesse est eum , qui illis subjicitur 4. Utrum homines inviti valide ordinentur , etiam controversia est inter Theologos . Nobis verisimilius videtur non *valide* ordinari ; quia nemo compelli potest , ut alicujus status certis legibus subjiciatur , si nolit . Et si Ecclesia probavit aliquando reluctantium ordinationem , existimavit eos ex humilitate fuisse reluctatos , non vero in iis defuisse consensum , quem gravitate auctoritatis ordinantium moti in ipso ordinationis actu praestiterunt .

CAP.

h. e. sunt irregulares rebaptizati, et rebaptizantes, dummodo baptismus non sit iteratus sub conditione in dubio; tunc enim qui baptizat, vel baptizatur, non habet animum iterum dandi, vel suscipiendi baptismum, sed dubio se liberandi. 3. Ex illicita susceptione, vel usu ordinis; h. e. sunt irregulares qui non probati furtive ordines suscipiunt; qui post contractum matrimonium, etiam non consummatum, invita uxore, ordinatur; qui ordinatur per *saltum*; qui ordinatur ab Episcopo non habente jurisdictionem; qui majori Excommunicatione, Suspensione, aut Interdicto ligatus exercet functiones sacri ordinis; qui sciens celebrat in loco interdicto. 4. Ex homicidio, mutilatione, et abortu; h. e. qui homicidium, mutilationem, et abortum perpetrant; et mandantes, consulentes, cooperantes, et non impedientes, cum ex justitia tenentur.

Q. Quot sunt irregularitates ex defectu sine delicto?

℟. Octo. 1. Ex defectu animae; h. e. irregulares sunt, propter defectum rationis, amentes, furiosi, Energumeni, et Epileptici; propter defectum scientiae, qui eam non habent, nec comparare possunt ad ordines requisitam; propter defectum fidei confirmatae *Neophyti* recens conversi ab haeresi, et baptizati, filii haereticorum, licet hi non ubique, ut irregulares habeantur. 2. ex defectu corporis; h. e. sunt irregulares caeci, surdi, qui carent manu, vel digito indice, vel pollice, abstemii, qui carent oculo si-

ni-

dicio sanguinis, vel alios ad accusandum inducunt, testes, judex, notarius, Carnifex; hi enim non repræsentant Christi lenitatem. Non sunt vero irregulares, qui tradunt reum judici saeculari protestantes, se nolle pœnam sanguinis, Clerici cum eadem protestatione, et ex Curiæ Episcopalis venia, testimonia ferentes, Medici, vel Chirurgi juxta regulas artis consulentes, vel mutilantes, injustum invasorem cum moderamine inculpatae tutelæ occidentes. 8. Ex defectu libertatis h. e. sunt irregulares servi, non ii, qui apud nos mercede conducti sunt, sed qui vere in *jure* tales appellantur, Conjuges, Curiales, sive ministeriis publicis addicti, obligati ad ratiocinia, ut Thesaurarii, Tutores, Procuratores. Excipiuntur Procuratores caussarum piarum, Ecclesiasticarum, et personarum miserabilium. Vide, qui ex professo de irregularitatibus scripserunt ea, quae hic brevissime collegimus.

Q. Quomodo tolluntur irregularitates?

℞. Irregularitates vel cessant per se, vel per dispensationem. Cessant per se, veniente tempore, vel conditione posita, si sint temporales, vel conditionales ex: gr: irregularitas ex defectu aetatis cessat, adveniente aetate legitima; irregularitas ex defectu natalium cessat, facta legitimatione per subsequens matrimonium. Cessant vero per dispensationem, cum vel summus Pontifex dispensat in iis, in quas cadere potest dispensatio, vel Episcopus dispensat in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, nec ad forum

con-

contentiosum deducto, in quibus dispensare potest, excepto homicidio voluntario, ut statuit Concilium Tridentinum *Sess.* XXIV. *cap.* 6. de *Reformatione*. Dispensare praeterea potest Episcopus in irregularitate ex defectu natalium quoad minores ordines tantum, et beneficia simplicia, quae ordinem sacrum non requirunt; et in ea quae oritur ex *bigamia similitudinaria*.

§. II.

DISPOSITIONES AD ORDINES RECIPIENDOS REQUISITAE.

Q. Quaenam dispositiones requiruntur ad suscipiendos Ordines?

℟. Plures: 1. *Vocatio*; ait enim Apostolus *Hebr.* V. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*. 2. *Recta intentio*, ut scilicet ordinandus, abdicatis curis saecularibus, liberius, et devotius Deo serviat. 3. *Morum probitas*. Ait enim Concilium Tridentinum, *Debere assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit*. 4. *Scientia*. Sic Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII. *cap.* XI. de Minoribus ordinibus: *Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat*. 5. *Ætas legitima*, quae in Sacerdotio est annus vicesimus quintus jam caeptus, in Diaconatu vicesimus tertius, in Subdiaconatu vicesimus secundus. 6. *Annua*

nua interstitia inter Acolythatum, et Subdiaconatum, et inter omnes sacros ordines, nisi necessitas, aut utilitas ab Acolythatu ad Subdiaconatum, et a Subdiaconatu ad Diaconatum, et necessitas simul, et utilitas a Diaconatu ad Presbyteratum exposcant, ut Episcopus dispenset; ex Tridentino *Sess.* XXIII. *Cap.* 11. 13. 14. 7. *Titulus* sive beneficii, sive patrimonii. 8. *Status gratiae sanctificantis*; Ordo enim est Sacramentum *vivorum*. 9. Immunitas ab irregularitatibus.

§. III.

Effectus Ordinis

Q. Quinam sunt effectus Ordinis?

R. Tres. 1. Gratiæ sanctificantis augumentum, quæ dicitur *secunda gratia*, qualem Sacramenta *vivorum* conferant, e quorum numero est Ordo. 2. Gratia, quæ dicitur *Sacramentalis*, sive jus fundatum in gratia sanctificante ad auxilia actualia, ut ordinis officia recte, et cum fructu exerceantur. 3. Character. Ait enim Concilium Trident. *Sess.* XXIII. can. 4. *Si quis dixerit per Sacram ordinationem . . . . . non imprimi Characterem . . . anathema sit.*

DE

DE MATRIMONIO.

CAP. I.

DE MATRIMONII, PROUT EST CONTRACTUS ESSENTIA, ET PROPRIETATIBUS.

§. I.

MATRIMONII, PROUT EST CONTRACTUS, ESSENTIA.

Q. QUænam est essentia Matrimonii, prout est contractus?

R. Est *viri, et mulieris mutuo consensu inita maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam retinens vitae consuetudinem*. Consensus non solum debet esse interior, et verus; sine consensu enim nullus perficitur contractus; sed etiam signis exterioribus expressus. Non pertinet tamen ad essentiam contractus, ut non possit pari consensu servata virginitate, esse, vocarique conjugium, ut ait S. Augustinus.

§. II.

Matrimonii, prout est contractus, proprietates.

Q. Quaenam sunt proprietates Matrimonii, prout est Contractus?

℞. Sunt duae. *Unitas*, et *indissolubilitas*.

Q. Quid est Unitas Matrimonii?

℞. Unitas Matrimonii consistit in eo, quod unus vir unam uxorem, et una uxor unum virum habere debeat. Nam habere unum virum plures uxores, quae dicitur *Polygamia* simultanea, vel unam uxorem habere plures viros, quae dicitur *Polyandria* simultanea jure divino prohibitum est in Evangelio. Nam Christus Matrimonium ad primariam suam institutionem revocavit, *Matth.* XIX. 5. h. e. ad pristinam unitatem clare expressam his verbis: *Masculum, et Feminam fecit eos*. Et *Luc.* XVI. *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur*. Hinc Concilium Tridentinum damnavit contrarium sentientes. *Sess.* XXIV. *Can.* 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*. Utrum *Polygamia* simultanea sit vetita etiam jure naturali disputatur inter Theologos. *Polygamiam* successivam nec jure naturali, nec divino prohibitam esse definivit Ecclesia contra Montanistas ex Aposto-

lo

lo I. Cor. VII 39 *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.*

Q. Quid est *indissolubilitas* Matrimonii?

R. *Indissolubilitas* Matrimonii consistit in eo, quod matrimonium non possit solvi quoad *vinculum* tam jure divino, quam naturali. Nam 1. Christus Pharisaeis de divortio interrogantibus respondit *Matth.* XIX. 6 *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et Apostolus I. *Cor.* VII. 39 *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* 2. Ipsa Christi verba videntur legem naturalem explicasse. Si enim ea lex naturæ non extaret, videretur natura educationi prolis non providisse, et familiarum, ac Reipublicæ perturbationi locum dedisse; quæ ex separatione matrimonii, quoad vinculum, certissime sequerentur incommoda. Dixi: *quoad vinculum*; nam matrimonium quoad habitationem pluribus de causis dissolvi posse certum est, ut constat ex *Jure*.

Q. Si Matrimonium jure naturæ est indissolubile; cur ex lege Mosaica permissum erat divortium?

R. Lex Mosaica tolerabat divortium ob cordis duritiam; sic enim dixit Christus Pharisæis *Matth.* XIX. 8. *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*. Cæterum indissolubilitas Matrimonii est de jure *secundario* naturæ, in quo Deus dispensare potest auferendo a viro, vel uxore domi-

nium

nium, quod habet in alterum . Ipse enim est Dominus omnium .

C A P. II.

De Matrimonii, prout est Sacramentum, natura, materia, forma, et Ministro .

§. I.

Natura Matrimonii, prout est Sacramentum .

Q. Matrimonium estne verum novæ legis Sacramentum ?

℞. Dogma fidei est Matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum . Nam ita semper habitum est in Ecclesia tam Occidentali, quam Orientali, ut patet ex perpetua Traditione ; cujus testes sunt plurimi PP. quos recitat *Bellarminus* . Hinc Eugenius IV. in *Decreto* ait : *Septimum est Sacramentum Matrimonii , quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia secundum Apostolum dicentem : Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo , et Ecclesia* . Et Concilium Tridentinum *Sess.* XXIX. *Can.* I. *Si quis dixerit Matrimonium non esse . . . . . . unum ex septem Sacramentis Evangelicae legis a Christo Domino institutum , sed ab hominibus in Ecclesia*

sia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.

§. II.

MATERIA, FORMA, ET MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII.

Q. Quænam est materia, forma, et Minister Sacramenti Matrimonii?

R. Gravissima quæstio versatur inter Theologos circa materiam, formam, et Ministrum Sacramenti Matrimonii. Nonnulli volunt materiam esse ipsum contractum verbis, aut signis expressum; formam esse verba, quæ proferuntur a Sacerdote: *Ego conjungo vos in matrimonium* etc.; Ministrum vero esse Parochum. Alii contendunt materiam esse corpora contrahentium; formam esse consensum verbis, aut signis expressum; et Ministrum esse ipsos contrahentes: quæ sententia multorum Scholasticorum est. Nobis in hac controversia magno animorum æstu utrinque agitata, quid sentiamus, non liquet: Ecclesia enim nihil de ea re definivit, et nos nec unam, nec alteram sententiam contemnimus. Illud advertendum est, quod in Sacramentorum administratione semper tutior sententia tenenda est, cum damnata fuerit ab Innocentio XI. ea propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, ac proinde si Matrimonium celebretur juxta posteriorum sen-

ten-

tentiam, supplendum est, quod defuit, et necessarium: existimatur juxta sententiam priorum, quæ utique tutior est

Q. Quænam sunt impedimenta Matrimonii?

℟. Duplicis sunt generis. Alia enim dicuntur *dirimentia*; alia simpliciter *impedientia*.

De Sacramento Matrimonii diximus brevissime. Reliqua, quæ dici possent, Adolescentes, cum eorum aetas, et officium postulabit a Scriptoribus *Theologiae Moralis* accipient.

FINIS.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAP. I.

De Actus humani, voluntarii, et liberi natura, ac divisione; et de iis, quæ cum voluntario pugnant.

§. I.

Actus humani, voluntarii, et liberi natura, ac divisio.

Q. Quid est actus humanus?

℞. Est actus, qui fit ab homine cum *advertentia* rationis, et deliberatione voluntatis. Omnis autem alius actus, qui fit sine *advertentia* rationis, et indeliberate procedit, dicitur actus *hominis*.

Q. Quotuplex actus est humanus?

℞. 1. Alius est *elicitus*, alius *imperatus*. Elicitus dicitur ille, qui *immediate* procedit ab ipsa voluntate, ut est amor, odium. Imperatus est ille, qui fit immediate ab aliqua sive animi, sive corporis potentia, sed imperante voluntate, ut intellectio, aut ambulatio. 2. Alius est internus, alius externus. 3. Vel est bonus, vel malus; alii addunt *indifferentem*; sed nos infra rejiciemus.

Q.

Q. Quid est voluntarium?

℟. Definitur ab Aristotele: *Id cujus principium est in ipso agente, sciente singula, in quibus est actio*. Dicitur 1. *Id cujus principium est in ipso agente*, ut distinguatur a violento, quod habet principium extra agentem, quae quidem violentia, quamvis cadere possit in actus corporis *imperatos*, tamen actus *elicitos* cogere non potest. Nam quod fit per violentiam, fit contra voluntatis propensionem; absurdum autem est aliquid fieri a voluntate contra voluntatis propensionem h. e. a voluntate volente, et nolente. Dicitur 2 *sciente singula, in quibus est actio*; nempe cum cognitione vel *actuali*, h. e. quae actu adest, vel *virtuali* h. e. quae adesse possit, et debeat.

Q. Quomodo dividitur voluntarium?

℟. Dividitur 1. in *necessarium*, et *liberum*. Voluntarium *necessarium* dicitur quod fit a voluntate *sponte*, et *libenter*, sed sine *indifferentia* ad oppositum, qualis est amor Beatorum. Voluntarium *liberum* dicitur illud quod fit voluntarie, sed cum indifferentia ad oppositum, ut sunt in homine sedere, et ambulare. 2. In voluntarium *positivum*, et *negativum*. Positivum appellatur illud, in quod voluntas positive, et directe influit, ut est odium inimici. Negativum est illud, ad quod voluntas negative se habet; sed ex ea negatione voluntarium illud sequitur, ut si quis posset incendium domus extinguere, et non extinguit, dicitur

 velle

velle illud incendium voluntario *negativo*.

Q. Quid est liberum?

R. Liberum est illud, quod fit sine necessitate; quemadmodum homo qui est sine febri, dicitur liber a febri.

Q. Quotuplex est liberum?

R. 1. Cum necessitas possit esse vel *interna*, vel *externa*; aliud est liberum a necessitate externa, aliud a necessitate interna. 2. Libertas a necessitate interna, et externa, vel versatur circa *contraria* nempe bonum, et malum, et dicitur libertas *contrarietatis*; vel versatur circa *contradictoria*, h. e. ponere, et non ponere actum, et dicitur libertas *contradictionis*; vel est circa objecta non contraria, sed *specie* diversa, ut sunt sedere, comedere, loqui, et dicitur libertas *specificationis*; vel denique est ad unum specie objectum determinata voluntas, sed potest hoc vel illo modo objectum persequi, et dicitur libertas *exercitii*.

§. II.

EA QUÆ PUGNANT CUM VOLUNTARIO.

Q. Quid est quod pugnat cum voluntario?

R. Omne illud, quod efficit, ut vel desit cognitio, vel deliberatio. Tria autem dicuntur pugnare cum voluntario, *ignorantia*, *metus*, et *concupiscentia*.

Q. Quid, et quotuplex est ignorantia?

R. Ignorantia est privatio cognitionis. 1. Ratione objecti dividitur in ignorantiam *juris*, et *facti*. Igno-

Ignorantia juris est , qua quis ignorat esse legem ex. gr.sabbato vetitum esse vesci carnibus . Ignorantia facti est qua quis novit legem , sed ignorat factum ex. gr. hodie esse sabbatum . 2. Ratione subjecti distinguitur in ignorantiam *invincibilem* , et *vincibilem* . Ignorantia invincibilis est eorum , quae quis scire nec potest , nec debet . Ignorantia vincibilis est eorum , quae quis scire potest , et debet . *Si* quis non vult directe legem ignorare , sed non adhibet debitam diligentiam , ejus ignorantia dicitur *crassa* ; *vel supina* , si maxima sit negligentia . Si quis vero de industria velit nescire legem , illius ignorantia dicitur *affectata* .

Q. Quæ ignorantia , et quomodo pugnat cum voluntario ?

℟. 1. Ignorantia *invincibilis* omnino aufert voluntarium , et peccatum . Nam ubi nulla est cognitio, nec esse potest , et debet , ibi nullum est voluntarium , siquidem voluntarium est illud , quod fit a *principio intrinseco in ipso agente* , *sciente singula in quibus est actio* . Dixi ; *et peccatum* , juxta illud Augustini de *vera Relig. cap.* 14. *Usque adeo omne peccatum est voluntarium* , *ut nullo modo sit peccatum* , *si non sit voluntarium* . 2. Ignorantia *vincibilis* , si non sit *affectata* , sed *crassa*, minuit , sed non tollit omnino voluntarium , et peccatum . Nam ubi minor est cognitio , minus est voluntarium , et peccatum . Dixi 1. *si non sit affetata* , qui enim de industria affectat ignorantiam , id facit , ut liberius peccet . *Psal.*

XXXIV. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Dixi 2. *non tollit omnino voluntarium*, quia ignorantia crassa non aufert omnino cognitionem. Hinc Christus *Luc.* XII. 48. ait: *Servus qui non cognovit voluntatem Domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit paucis*.

Q. Si ignorantia invincibilis aufert omnino voluntarium, et peccatum, cur damnata est in Concilio Diospolitano illa *Pelagii* propositio: *Ignorantia, et oblivio non subjacent peccato?*

℟. Quid illa ignorantia, de qua loquebatur *Pelagius*, non erat invincibilis, sed vincibilis auxiliis gratiae ordinariis, quae *Pelagius* negabat.

Q. Quia, et quotuplex est metus?

℟. Metus est animi perturbatio ob malum futurum, et possibile. Metus autem duplex est *gravis*, et *levis*. Metus gravis est mali gravis formido, ut mortis, mutilationis, carceris, jacturæ bonorum, infamiæ, qui quidem metus etiam in virum fortem, et constantem cadit. Metus vero levis est mali vel levis, vel gravis, sed quod difficile evenire potest, formido. Verum ut dignoscatur utrum metus sit levis, vel gravis, attendenda est variæ ætatis, sexus, conditionis ratio; potest enim fieri, ut metus, qui in uno est levis, in alio sit gravis; et vice versa.

Q. Quinam metus, et quomodo pugnat cum voluntario?

℟. 1. Si metus gravis ita rationem perturbet, ut homo non sit sui compos, aufert om-

omnino voluntarium, et peccatum. Ubi enim deest omnino cognitio, nullum est voluntarium, et peccatum. Hujusmodi tamen metus raro contingit. 2. Si metus gravis non omnino aufert usum rationis, minuit voluntarium. Nam ubi est minor cognitio, ibi voluntarium minus sit oportet. Hinc opus ex tali gravi metu peractum non dicitur *absolute*, et *simpliciter* involuntarium, sed involuntarium *secundum quid*.

Q. Si metus gravis, qui rationis usum omnino non aufert, non tollit voluntarium; cur declarantur irrita Matrimonium, et votum solemne ex gravi metu contracta?

℞. Matrimonium et votum solemne ex gravi metu, non ideo declarantur irrita, quia sunt omnino involuntaria, sed quia leges ob bonum publicum statuunt, ut consensus in his causis non pariat vim obligandi.

Q. Quid, et quotuplex est concupiscentia?

℞ Concupiscentia est inordinatus appetitus rerum, quæ placent, contra rationem. Est autem duplex *antecedens*, et *consequens*. Antecedens ea est, quæ voluntatis imperium antevertit. Consequens vero, quæ ab ipsa voluntate excitatur.

Q. Quæ concupiscentia, et quomodo pugnat cum voluntario?

℞. 1 Concupiscentia *antecedens* eatenus dicitur aliquando pugnare cum voluntario, quatenus, cum invenit in anima habitualem propensionem ad bonum, voluntas vel resistit,

vel ei non sine aliqua pugna cedit; propterea non semper auget voluntarium. Dixi aliquando pugnare cum voluntario; quia ubi non invenit habitualem illam ad bonum propensionem, efficit, ut voluntas alliciatur, et plene, ac cum impetu consentiat. 2. Concupiscentia vero consequens non pugnat cum voluntario, sed illud auget. De hac enim concupiscentia loquitur S. Thomas 1. 2. q. LXXVII art. 6. *Quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.*

CAP. II.

UTRUM DETUR IGNORANTIA JURIS NATURALIS, ET QUAENAM INDIFFERENTIA REQUIRITUR AD NATURAM LIBERI ARBITRII.

§. I.

UTRUM DETUR IGNORANTIA JURIS NATURALIS.

Q. DAturne ignorantia juris naturalis?

℞. Jus naturale spectari potest vel quoad prima principia, qualia sunt illa: *Deus est colendus: quod tibi non vis alteri ne feceris*, vel quoad conclusiones proximas, h. e. quæ facili ratiocinatione ex primis principiis deducuntur, vel quoad conclusiones remotiores, h. e. quæ non nisi longo, ac difficili discur-

su

su ex primis principiis derivantur. His explicatis dicimus 1. non dari ignorantiam *invincibilem* juris naturalis, quoad prima principia, et conclusiones proximas. Nam jus naturale scriptum est in ipsis hominum cordibus, dicente Apostolo *Rom.* II. 15. de Gentilibus. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Deinde per peccatum licet vulnerata, tamen non est mutata hominis natura; nec ipsa imago Dei destructa est. Igitur remanent in anima principia juris naturalis a Deo sculpta, et impressa; et ex quibus homo facili ratiocinatione conclusiones proximas elicit. Dicimus 2. dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quoad conclusiones remotiores. Nam de iis conclusionibus remotioribus disputant ipsi viri doctissimi, et diversas sequuntur sententias. Quomodo homo rudis, et illiteratus potest eas dignoscere?

Q. Nihil est, quod per gratiam Dei vinci non possit. Cur asseritur dari ignorantiam *invincibilem* juris naturalis circa conclusiones remotiores?

℟. Nihil est, quod vinci non possit per gratiam Dei aut *ordinariam*, aut *extraordinariam*. Porro ignorantia juris naturalis circa conclusiones remotiores vinci non potest, nisi per gratiam extraordinariam, quam Deus nemini promisit.

§. II.

INDIFFERENTIA, QUAE REQUIRITUR AD NATURAM LIBERI ARBITRII.

Q. Quaenam indifferentia requiritur ad natura liberi arbitrii?

℟ 1. Certum est, non requiri indifferentiam *contrarietatis*, h. e. qua homo possit facere bonum, et malum; alioqnin Deus, qui peccare non potest, non esset liber 2. Certum est requiri indifferentiam *contradictiònis*, h. e. qua homo possit agere, vel non agere. Nam S. Thomas Doctor eximius, et Philosophus acutissimus, quoties de libertate Dei, Angelorum, et hominis loquitur, eam repetit ab indifferentia contradictionis. Sic de libertate Dei scribit in II. *dist.* XXV. *q. I. art.* I. ad 2 *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere possit, vel non facere; et hoc Deo convenit.* De libertate Angelorum dicit *lib. II. cont. Gent. cap.* 48. *et* 49. *quod in eorum voluntate sit agere.* Denique de libertate hominis ait q. *XXIV. De verit. art* 1. *in hominis potestate est facere et non facere, et ita est liberi arbitrii.*

CAP.

CAP. III.

De Finis actuum humanorum natura, divisione, causalitate; et de eo, qui hominis felicitatem constituit.

§. I.

Natura, et divisio finis.

Q. Quid est finis?

℟. Est illud bonum, vel verum, vel apparens, cujus amore aliquid fit.

Q. Quomodo dividitur finis?

℟. Dividitur 1. in *internum*, et *externum*, vel ut alii loquuntur in finem *operis*, et *operantis*. Finis internus, sive operis est, ad quem opus natura sua tendit, ut eleemosyna ad sublevandum pauperem. Finis externus, sive *operantis* est, quem ipse agens intendit, ut est satisfactio pro peccatis in eo, qui eleemosynam largitur. 2. in *proximum*, et *remotum*. Finis proximus est, qui immediate obversatur animo, ut est sanitas in mente ægroti, qui medicinam sumit. Finis remotus est ille, ad quem ulterius actio dirigitur. Sic aegrotus sumit medicinam ex fine proximo ut sanus fiat, ex fine remoto, ut sanus factus possit esse utilis. 3. in *intermedium*, et *ultimum*. Finis intermedius est ille, ob quem agens operatur, sed non in eo quie-

scit. Finis ultimus est ille, ob quem agens operatur, et, eo obtento, plane quiescit.

§ II.

CAUSALITAS FINIS.

Q. Quomodo finis operatur?

R. Operatur movendo voluntatem per amorem. Omnis enim voluntatis motus oritur ex amore, sive delectatione, sive complacentia ejus, quod amatur. Ex amore autem, qui est primus effectus finis, oriuntur sex alii effectus qui ad finem ipsum consequendum perducunt scilicet *intentio* h. e. efficax propositum finem obtinendi; *consilium*, h. e. inquisitio mediorum in intellectu, quibus voluntas ad finem perveniat; *consensus*, h. e. adprobatio eorum mediorum quae ad finem apta sunt; *electio*, h. e. ex multis propositis ad intellectu mediis efficaciorum apprehensio; *imperium*, h. e. judicium practicum, quo statuitur non differendum, sed statim adhibendum medium, quod electum est; *usus*, quo medium ipsum actu adhibetur. Deinde pervenitur ad octavum finis effectum, qui est ipsa finis *fruitio*.

Q. Potestne homo sibi plures fines ultimos proponere?

R. Minime. Nam finis ultimus est, qui appetitum voluntatis plene satiat. Si homo plures fines ultimos sibi posset proponere singuli seorsim sumpti non satiarent voluntatis

appetitum, ac proinde non essent fines ultimi.

§. III.

Finis ultimus, sive vera beatitudo objectiva creaturæ rationalis.

Q. Quotuplex est beatitudo?

℟. Duplex, *objectiva*, et *formalis*. Beatitudo objectiva est ipsum objectum, quo animus beatur. Formalis vero est operatio, qua objectum apprehenditur, et possidetur.

Q. Quinam est finis ultimus, sive vera beatitudo *objectiva* creaturæ rationalis?

℟. Non potest esse nisi solus Deus. *Psal.* XC. *Tu es Domine spes mea*. Et Augustinus *lib.* I. *Conf. Cap.* I. *Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Est revera finis ultimis sive vera beatitudo illud objectum, quod perfecte satiat intellectum, qui fertur in *verum*, et voluntatem, quæ movetur in *bonum*. Quodnam autem objectum *verum*, et *bonum* potest esse Deo universalius, et magis intellectum, et voluntatem creaturæ rationalis explere? Est igitur solus Deus finis ultimus, sive vera beatitudo objectiva creaturæ rationalis.

Q. Quænam est beatitudo *formalis* creaturæ rationalis?

℟. Thomistae volunt esse visionem Dei; Scotistæ esse amorem Dei; S. Bonaventura vi-

visionem simul, et amorem; alii eam statuunt in summo gaudio beatorum. Nobis arridet sententia Thomistarum. Nam 1. per amorem non possidetur objectum. Sic B. Virgo in hoc statu viæ flagrantissime diligebat Deum, nec erat beata, quia per amorem eum adhuc non possidebat 2. Gaudium supponit bonum jam apprehensum, et possessum. Restat igitur, ut beatitudo formalis sita sit in visione Dei. *Joan* XVII. 3. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum.*

Q. Quænam est beatitudo *formalis* inchoata, sive in hac vita?

℟. Nonnulli volunt eam consistere in exercitio virtutum moralium; sed nobis verisimilior videtur sententia eorum, qui illam statuunt in exercitio virtutum Theologicarum *fidei*, *spei*, et *charitatis*. Nam in harum virtutum exercitio proprie consistit perfectio vitæ Christianæ. *Coloss.* III. 44. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Charitas autem esse non potest sine fide, et spe.

Q. In Scripturis dicuntur beati, qui exercent actus virtutum moralium: *Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem: Beati misericordes* etc. Quare beatitudo *formalis* inchoata non statuitur in exercitio virtutum moralium?

℟. Actus virtutum moralium faciunt homines beatos, si ex charitate proficiscuntur; nam sine ea nihil prosunt. Cum vero ex charitate

ritate proficiscuntur, dicuntur hominem beatum efficere, quia sunt caussa, et indicium ferventioris charitatis

CAP. IV.

De bonitatis, et malitiæ moralis actuum humanorum natura, et caussa; et utrum dentur actus indifferentes in individuo.

§ I.

Natura bonitatis, et malitiae moralis actuum humanorum.

Q. Quinam actus humani sunt moraliter boni, et quinam moraliter mali?

℞. Actus humani moraliter boni sunt illi, quorum objectum tale est, ut ad Deum dirigi possit, et ad eum revera dirigatur. Actus vero humani moraliter mali dicuntur illi, quorum objectum aut tale est, ut ad Deum dirigi non possit, aut reipsa ad eum non dirigatur. Dicuntur autem hujusmodi actus mali moraliter, quia si physice spectantur h. e. quatenus sunt a Deo vel movente, vel concurrente, semper boni sunt. Igitur bonitas, et malitia moralis actuum humanorum oritur ex duobus capitibus, scilicet ex fine ultimo, et ex objecto, cujus nomine intelliguntur etiam circumstantiæ.

§. II.

§ II.

CAUSSA BONITATIS, ET MALITIÆ MORALIS ACTUUM HUMANORUM.

Q. Quænam est caussa bonitatis, et malitiæ *moralis* actuum humanorum?

℟. Nonnulli volunt caussam bonitatis, et malitiæ moralis actuum humanorum repetendam esse a convenientia, aut repugnantia cum lege sive naturali, sive positiva. Alii contendunt eam repetendam esse a convenientia, aut repugnantia cum natura rationali, sive cum æternis ideis Dei, ad cujus imaginem homo conditus est. Hæc posterior sententia, quæ est S. Thomæ *lib.* III. *cont. Gent. cap.* 129. nobis placet. Nam 1. si non ipsa convenientia, aut repugnantia cum natura rationali, sed lex facit, ut actus humani sint moraliter boni, aut mali, potuisset Deus condere legem contrariam Decalogo, et sic furtum, homicidium essent actus moraliter boni. Quo quid absurdius? 2. Deus infinite sapiens non sine summa ratione legem condidit. Ergo dicendum est ideo quædam præcepisse, quia cum natura rationali conveniebant; quædam vero prohibuisse, quia cum natura rationali repugnabant, nec boni, aut mali sunt actus, quia a lege præcepti, aut prohibiti; sed ideo a lege præcepti, aut prohibiti, quia convenientes, aut repugnantes naturæ rationali.

Q. Dantur quædam natura sua indifferentia,

tia, quæ nisi præciperentur, aut prohiberentur a lege, neque bona, neque mala essent ex. gr. vesci carne in die sabbati; cur horum actuum bonitas, aut malitia non repetitur a convenientia, aut repugnantia cum lege?

℟. Quia facta hypotesi, quod lex præcipiat, aut prohibeat objecta natura sua indifferentia, tunc repugnat naturæ rationali violare legem; ac proinde actuum humanorum bonitas, aut malitia circa hæc opera oritur hypothetice a lege, sed formaliter a convenientia, aut repugnantia cum natura rationali.

§. III.

Utrum dentur actus humani indifferentes in individuo.

Q. Danturne actus indifferentes in individuo?

℟. Scotistæ affirmant dari; Thomistae negant Nos sequimur Thomistas. Nam quamvis dentur actus in specie indifferentes, ut sunt ambulare, sedere, quorum objecta sunt indifferentia; tamen in individuo, in quo finis, et omnes circumstantiae attendi debent, necessario sunt vel boni, vel mali. Et revera homo debet omnes actus suos ad Deum referre intentione saltem *virtuali*, et implita. *I. Cor.* X. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et Bernardus *Serm. III. de divers. Quidquid facimus, jubemur*

fa-

C A P. I.

De circumstantiarum natura, numero, et utrum, et quomodo eæ influunt in actus humanos.

§. I.

Natura, et numerus circumstantiarum actuum humanorum.

Q. Quid sunt circumstantiæ actuum humanorum?

℞. Sunt conditiones quædam morales, quæ comitantur objectum, circa quod versatur actio, ut locus, tempus, et cet.

Q. Quot sunt circumstantiæ actuum humanorum?

℞. Vulgo septem numerantur hoc versiculo comprehensæ: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. 1. *quis*, significat conditionem operantis, ut si fuerit Clericus, aut laicus, solutus, aut ligatus. 2. *quid*, denotat objecti qualitatem, et quantitatem, ut si res furto ablata sit sacra, vel profana, magna, vel parva. 3 *ubi* notat locum, ut si furtum factum fuerit in loco sacro, an profano. 4. *quibus auxiliis* significat instrumenta, sive media, quibus usus est operans, ut si adhibuerit opem Dæmonis, vel malefici, si occiderit veneno, vel gladio. 5. *cur*, denotat finem non operis, qui

qui est intrinsecus objecto, sed *operantis*, ut si quis furetur ad se inebriandum. 6. *quomodo*, significat modum, quo fit actus, ut ex contemptu, vel levitate, ex malitia, vel ignorantia. 7. *quando*, denotat tempus, ut si fuerit dies festus.

§. II.

UTRUM, ET QUOMODO CIRCUMSTANTIÆ INFLUUNT IN ACTUS HUMANOS.

Q. Circumstantiæ influuntne bonitatem, aut malitiam in actus humanos?

℟. Certe influunt. Quemadmodum enim ex eo, quod objectum, circa quod versatur actus humanus, est conveniens, aut repugnans cum natura rationali, actus humanus est bonus, aut malus, ita si circumstantiæ sunt convenientes cum natura rationali, influunt bonitatem, si sunt repugnantes naturæ rationali, influunt malitiam in actum ipsum.

Q. Quando circumstantiæ influunt bonitatem, aut malitiam in actus humanos?

℟. 1. Influunt bonitatem moralem in actus humanos, cum ab intellectu advertuntur, et a voluntate intenduntur. Qui enim ad eas vel non advertit, vel illas non intendit, nullam ex circumstantiis actus ejus haurit bonitatem moralem. Sic qui eleemosynam largitur pauperi, si non advertit esse Sacerdotem, nullam circumstantia personæ ulteriorem bonitatem in actum ejus influit. 2. Ut circumstantiæ conferant humanis acti-

bus

gis malitiam moralem sufficit ut adverti potuerint, ac debuerint. Hæc enim esset ignorantia *vincibilis*, quæ non efficit, ut actus sit omnino involuntarius.

C A P. VI.

De humanorum actuum varia specie, et distinctione morali, quoad numerum.

§. I.

Varia species humanorum actuum.

Q. Undenam repetenda est varia species actuum humanorum?

R. Repetenda est ex vario objecto, et ex vario fine proximo, sive, ut Scholæ loqui amant, ex vario objecto *materiali*, et ex vario objecto *formali*. Nam 1. objectum prout est conveniens cum natura rationali ita bonum est, et eam bonitatem suam moralem in actus humanos influit, e contrario prout est repugnans naturæ rationali, ita malum est, et eam malitiam suam moralem actibus humanis confert juxta illud Osee IX. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt* 2. Finis est, qui magis diligitur, quam ipsum objectum; ipse enim movet per amorem animum ad diligendum objectum. Igitur si varia species, h. e. bonitas, aut ma-

malitia actuum humanorum repetenda est a vario objecto, multo magis debet repeti ex vario fine Hinc Augustinus in *Psal.* XXXI *Non valde*, ait, *attendas*, *quid faciat homo*, *sed quid*, *cum faciat*, *aspiciat*.

Q. Nonne circumstantiæ etiam conferunt variam bonitatem aut malitiam actibus humanis?

℟. Profecto conferunt. Nam sicut objecta, sic etiam circumstantiæ vario modo vel conveniunt, vel repugnant cum natura rationali, ac proinde sicut ex objectis, sic etiam ex circumstantiis, quæ actus humanos vestiunt, repetendæ est varia species actuum humanorum. Sic percussio clerici ob circumstantiam personæ duplex continet malum specie diversum contra justitiam, et religionem.

Q. Attendenda est lex, an virtus, cui actus humanus conformis est, aut opponitur, ut ejus bonitatis, aut malitiæ varia species determinetur?

℟. Attendenda est virtus. Sic quamvis duabus legibus præcipiatur adesse sacris die Dominicæ, si scilicet in eamdem diem festum incidat, nec plures bonitatis species habebit ea die adesse sacris, nec plures malitiæ species deesse. Ut igitur actus pluribus legibus præceptus, aut vetitus habeat plures bonitatis, aut malitiæ species, necesse est, ut illæ leges ex diversarum virtutum fine latæ sint.

§. II.

§. II.

Distinctio moralis actuum humanorum, quoad numerum.

Q. Unde æstimanda est distinctio moralis actuum humanorum, quoad numerum?

R. Æstimanda est ex numero objectorum, vel ex ejusdem actus morali interruptione, ac repetitione. Nam 1. sicut actus, cum versatur circa plura objecta specie diversa specie multiplex est; sic cum versatur circa objecta numero distincta, erit ille actus moraliter numero multiplex. Sic homo tot peccata committit, quot sunt homines quibus unum scandalum præbet. 2. Cum actus moraliter interrumpitur, cessare intelligitur, ac proinde illius repetitio erit novus voluntatis actus, ac numero distinctus a priori. Dixi: *moraliter*; nam si physice tantum interrumpatur, non erit moraliter distinctus numero. Censetur autem actus humanus moraliter interrumpi, si sit tantum internus, cessante ipso, actu, ideoque tot erunt novi voluntatis actus, quoties voluntas consentit; si sit internus conjunctus cum externo, ipsa externi operis, vel consummatione, vel retractatione, vel libera cessatione; et si agens opus reliquit imperfectum, aut voluntatem mutavit, is novum actum fecisse censebitur, si rursum idem opus suscipere proponat.

Q. Actus externus additne malitiam, aut bo-

C A P. VII.

De legis quae est remota regula actuum humanorum definitione, divisione, et de singularum legum natura, et earum cessatione.

§. I.

Definitio, et divisio legis.

Q. Quid est lex?

R. Lex sive dicatur a *ligando* juxta S. Thomam, quia obligat ad agendum, sive a *legendo* juxta Isidorum, quia scribi solet, et legi, definitur: *Ordinatio rationis ad bonum publicum ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*. Dicitur 1. *ordinatio rationis*; quia intellectus est ordinare, sive decernere, quid agendum sit, ut ad finem perveniatur. 2. *Ad bonum publicum* h. e. ad eum finem ob quem societas instituta est, 3. *ab eo qui curam habet communitatis*; nam ejus est ferre leges, qui communitati praeest, 4. *promulgata*, alioquin ligare non potest.

Q. Quomodo dividitur lex?

R. 1. Dividitur in divinam, et humanam. 2. Divina dividitur in aeternam, naturalem, et positivam. Et positiva in Mosai-

Gentilibus. *Ejusmodi legem non habentes ipsi sibi lex sunt. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia eorum.*

Q. Potestne mutari, aut dispensari a Deo ipso lex naturalis?

℞. Minime. Nam quæ per eam jubentur, aut prohibentur, sunt intrinsecus bona, aut mala. Si igitur mutaretur, aut dispensaretur lex naturalis, quod est intrinsecus bonum, esset malum, et vice versa; quod est contradictorium.

Q. Si lex naturalis mutari, aut dispensari non possit ab ipso Deo, cur Deus jussit Hebræos sumere vasa Ægyptiorum, et *Oseam* ducere uxorem fornicariam; quæ sunt lege naturali prohibita?

℞. 1. Quod ad exemplum Hebræorum attinet, advertendum est Deum esse dominum omnium. Igitur translulit pro sua potestate dominium vasorum Ægyptiorum in Hebræos; ac proinde illud furtum non fuit. 2 *Oseas* in veram, et legitimam accepit uxorem, quæ antea erat fornicaria. *Quid inimicum fidei Christianae*, inquit Augustinus *lib. cont. Secundinum Cap.* 21. *Si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur?*

§. III

LEX DEI POSITIVA MOSAICA.

Q. Quid est lex Mosaica?

R. Est complexio præceptorum Moralium, Judicialium, et ceremonialium; quæ a Deo per Moysen fuerunt Israelitis imposita.

Q. Estne vere a Deo lata, et bona lex Mosaica?

R. Utrumque negarunt Manichæi. Recentiores Increduli contendunt non a Deo, sed a Moyse ipso eam fuisse excogitatam. At dogma fidei est, legem Mosaicam esse latam a Deo per Moysen, et eam bonam esse. Nam 1. eam legem Dei esse testatur ipse Christus in Evangelio *Matth.* XXII. 3, *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis* (*Exod.* III. 6.): *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* Hinc merito Concilium Toletanum I. definivit: *Si quis dixerit esse alterum auctorem priscae legis, alterum Evangeliorum, anathema sit* 2 Eam bonam esse discimus ex Apostolo, qui loquens de lege Mosaica *Rom.* VII. 12. ait: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Unde ipse Christus legem Mosaicam servavit in circumcisione, celebratione Paschæ, et in cæteris; quod utique non fecisset, si ea mala fuisset.

Q. Si bona erat ex Mosaica; quo pacto ejus præc-

præcepta dicuntur *non bona*, *Ezech.* XX. 25. ?

℞. Præcepta legis Mosaicæ dicuntur non bona, vel quoad ceremonias, quæ erant onus grave populo duræ cervicis, sed bene impositum, ut ab idololatria coerceretur; vel relate ad praecepta ceremonialia novæ legis, sive Evangelicæ, veteris ceremoniis substituta longe meliora, et nobiliora; vel denique ibi præcepta *non bona* intelliguntur *desideria cordis*, quæ Deus non dedit directe, et positive, sed in ea *permissive* tradidit Israelitas dispersos in Gentibus, et legem suam bonam violantes.

Q. Vigetne adhuc lex Mosaica?

℞. Quoad præcepta moralia, sive Decalogum, viget, et vigebit, quia ea mutari non possunt. Sed quoad præcepta judicialia, et cæremonialia abrogari debuit. Nam lex quoad ea præcepta erat *umbra futurorum Heb.* X. 1. Igitur, adveniente Christo, umbram evanescere necesse erat. Et revera abrogata est in morte Christi, ut ipse Christus declaravit in cruce clamans: *consummatum est*,, h. e. impleta sunt omnia. *Tunc* enim, ait Leo M. *Serm.* XVII. *de pass. a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam . . . . . evidens est facta translatio*. Sed non evasit illicita ita, ut, qui eam servaret, peccatum committeret, nisi post sufficientem Evangelii promulgationem, Templo Hierosolymitano funditus everso. Nam Apostoli post mortem Christi adhuc legem Mosaicam in nonnullis

servarunt. Sic Paulus *Act.* XVI 3. circumcidit Timotheum; quod utique non fecisset, si fuisset illicitum.

Q. Nonne Apostoli post mortem Christi per *simulationem* usi sunt ritibus Mosaicis?

R. 1. Illa *simulatio* soli Petro tribuitur, ob quam reprehensus fuit a Paulo. Et dicitur *simulatio*, quia ex legis observatione poterat oriri suspicio, eam adhuc esse necessariam. 2. Si lex post mortem Christi fuisset mortifera, et illicita, ne per simulationem quidem ab Apostolis servari potuisset, tum quia simulare est mentiri, tum quia adhibere signa falsæ religionis peccatum grave est, quod absit, ut Apostolis tribuamus.

§. IV.

LEX DEI POSITIVA EVANGELICA.

Q. Quid est lex Evangelica?

R. Lex Evangelica definitur: *Gratia Spiritus Sancti, qua servantur ea, quae Christus praecepit ab Apostolis promulgata, et in aeternum duratura.* Dicitur 1. *Gratia Spiritus Sancti*. Nam ipse Deus eam in Spiritus Sancti gratia constituit. *Jerem.* XXXI. 33. *Hoc est pactum, quod faciam cum domo Israel . . . . Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam*. Et S. Thomas 1. 2. *q.* CVI. *art.* I. *Principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti.* 2. *Qua servantur ea, quae Christus praecepit*. Ait enim Christus *Joan.* XIV.

XIV. 15. *Si diligitis me mandata mea servate*: et v. 21. *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* Hinc Concilium Tridentinum Lutheranos docentes in Evangelio solam fidem esse præceptam damnavit *Sess.* VI. *can.* 16. *Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, caetera esse indifferentia . . . aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit*. 3. *Ab Apostolis promulgata*; ipsi enim instituti sunt a Christo novae legis præcones, quam promulgare cœperunt in die Pentecostes, cum Judæis pro lege Mosaica pugnantibus, ipsi necessitatem Baptismi, et fidei in Chistum prædicabant. 4. *et in aeternum duratura*; Apostolus enim *Heb.* XIII. 20. appellat novum testamentum *testamentum aeternum*.

Q. Nova lex scripta est in Evangelio; quare dicitur Spiritus Sancti gratia?

℟. Ptimario, et interius insculpta est in anima fidelium; secundario vero, et externus scripta est etiam in Evangelio, si homines cupiditate abrepti ad eam in cordibus diffusam non adverterent. Sicut lex naturalis erat cordibus impressa, et in tabulis legis Mosaicæ exarata.

Q Nonne Apostolus in suis Epistolis frequenter scribit Christianos præsertim justos immunes esse a lege?

℟. 1. Apostolus ait, Christianos, si justi sint, immunes esse a lege, quia lex iis, qui condelectantur legi Dei, non est onus grave, sed jugum suave, adjuvante charita-

te, ac proinde ita eam facile, et prompte servant, ut nullum onus videantur ferre. 2. Plerumque instituit comparationem inter legem Mosaicam, et legem Evangelicam, et ait Christanos ab onere servandi legem Mosaicam quoad præcepta Judicialia, et ceremonialia per Christum immunes factos fuisse, et libertate donatos.

§. V.

LEX HUMANA ECCLESIASTICA.

Q. Quid est lex Ecclesiastica?

℟. Est ea, quam ferre possunt supremi Ecclesiæ Pastores cum vi obligandi.

Q. Estne in Ecclesia potestas legum ferendarum?

℟. Hanc potestatem esse in Ecclesia negarunt Waldenses, Wiclefistæ, et Lutherani. Sed dogma fidei est, eam potestatem esse in Ecclesiæ supremis Pastoribus cum vi obligandi. Christus enim in Evangelio dedit Ecclesiæ pastoribus potestatem pascendi, et regendi gregis ipsis commissi. Quomodo pascere, et regere possent sine potestate jubendi leges? Hinc ipse Christus ait Apostolis *Luc.* X. 16 *Qui vos audit*, *me audit* h. e. qui vobis præcipientibus obtemperat, mihi obtemperat. Et *Matth.* XVIII. 18. *Amen dico vobis quaecumque alligaveritis . . . . erunt ligata*, *et quaecumque solveritis . . . erunt soluta*. Unde Apostoli fideles Christi interpretes, et Pastores Apostolorum successores

sores a primis sæculis tulerunt leges, prout eas ferre necessarium judicarunt; ut constat ex Actis Apostolorum, et *Jure* Canonico t. Dixi: *cum vi obligandi*; frustra enim esse. ea potestas legum ferendarum in Ecclesia, si fideles ad eas servandas non essent obligati.

Q. De quibus rebus possunt ferre leges Pastores Ecclesiæ?

R. Non possunt ferre leges de rebus mere civilibus, alioquin frustra fuisset instituta a Deo potestas civilis; sed de rebus Spiritualibus.

§. VI.

Lex humana Civilis.

Q Quid est lex Civilis?

R Est ea, quam jubent Principes Civiles supremi.

Q. Habentne Principes Civiles supremi potestatem jubendi leges?

R. Negarunt Waldenses, Wicleffistæ, et Lutherani. At dogma fidei est, Principes Civiles supremos ejusmodi potesatem habere. *Proverb.* VIII 15. *Per me Reges regnant, et legùm conditores justa decernunt.* Et Apostolus *Rom.* XIII. 1. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo . . . . qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.*

Q Leges civiles obligantne in conscientia?

R Profecto obligant. Clarissime enim inquit Apostolus *Rom.* XIII. 1. *subditi es-*

te non solum propter iram (h. e. pœnam temporalem) *sed etiam propter conscientiam*.

Q. De quibus rebus ferre possunt leges Principes Civiles Supremi?

℟. Pufendorius *lib. de habitu re. Christianae* asserit eos habere potestatem jubendi leges tam circa Sacra, quam circa profana. Sed dicendum est, eos habere potestatem ferendi leges de rebus mere politicis. Non enim Civitatis Principibus, sed Apostolis, eorumque Successoribus dictum est *Matth.* XVIII 18. *Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in Cœlo*; et cet.

§. VII.

LEX NON SCRIPTA, SIVE CONSUETUDO.

Q. Quandonam consuetudo censetur legitime inducta ita, ut vim legis habeat?

℟. 1. Cum est rationabilis. 2 Cum longo tempore servata sit a saniori, ac majori parte communitatis, cum animo sese obligandi. 3. Cum accedit tacitus consensus legislatoris. Quando hæc tria adsunt, consuetudo ita vim legis habet, ut prioribus etiam legibus deroget, et abroget. In hac re Theologi omnes, et Juris consulti consentiunt. *Rectissime illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur* *leg* 32. *D. de Legibus*. Quod intelligendum est de consuetudine inducta contra legem huma-

manam, non vero contra legem naturalem, aut Evangelicam, cum omnis illis contraria consuetudo sit abusus, et corruptela. Nihil enim contra jus naturale, aut Evangelium potest esse rationabile.

§. VIII.

Privilegia.

Q. Quid est privilegium?

℞. Est *privata lex*, *qua speciale aliquod beneficium contra*, *vel praeter jus commune alicui justa de caussa a principe conceditur*. Dicitur 1. *Privata lex*; h. e. qua jubetur communitas usum privilegii privato concessum non impedire. 2. *Contra*, *vel praeter jus commune*; nam alia privilegia sunt contra communem civitatis legem, ut immunitas a tributis, alia aliquid amplius concedunt, quam habeant alii cives, ut sunt nonnulla Principis beneficia, quæ in detrimentum aliorum non cedunt. 3. *Justa de caussa*; alioquin nomen legis non mereretur. 4. *A Principe concessum*; ille enim potest Privilegia concedere, qui potest leges jubere.

Q. Quomodo dividuntur privilegia?

℞. Dividuntur in Realia, et Personalia. Realia sunt quæ, rei insunt, puta loco, Ecclesiæ, dignitati et cet. Personalia, quæ ipsi personæ adhærent, et ea moriente extinguuntur.

§. IX.

§. IX.

LEGIS CESSATIO

Q. Quandonam lex dicitur cessare?

℟. Dicitur cessare, sive non obligare totam communitatem. 1. Cum finis legis respectu totius communitatis cessat. 2. per abrogationem ejus factam vel ab ipso ejus legislatore, aut superiore legislatoris, aut a successore legislatoris. 3. per desuetudinem, cum a saniori, et majori parte communitatis moribus non servatur, legislatore per tempus legitimum tolerante. Dicitur cessare, sive non obligare aliquem privatum, vel per dispensationem, vel per *Epiikiam*.

Q. Quid est dispensatio?

℟. Est legis ab eo, qui legitimam potestatem habet justa de caussa facta relaxatio in aliqua singulari circumstantia, in qua lex alioquin obligaret. Igitur requiritur tum *potestas*, non enim in lege dispensare potest, nisi qui eam tulit, aut ejus superior, aut delegatus; tum *justa caussa* h. e. quæ prævaleat bono, quod ex legis observatione in illa singulari caussa obtineri posset. Hinc 1. dispensatio facta sine justa caussa, licet non sit irrita, quia voluntas superioris est, ut non obliget, est tamen illicita. *Defensores divinorum Canonum, et custodes sumus, non prævaricatores*, inquit Martinus I. *Epist.* V. Si tamen dispensatio facta sit ab inferiori delegato sine justa caussa censenda est *irrita* et *illi-*

illicita; non existimandum est superiorem ei non dedisse potestatem sine justa caussa dispensandi. 2. Dispensatio *subreptitia*, h. e. cum in supplici libello tacetur verum, et *obreptitia* h. e. cum narratur falsum, irrita est, et illicita. Non enim exposita est justa caussa, ob quam petitur dispensatio. 3. Dispensatio facta in materia *individua* postquam executioni mandata est, etiam cessante justa caussa revocari non potest. Facta vero in materia *dividua*, cessante justa caussa, ipsa dispensatio cessat. Sic qui ob infirmitatem a jejunio quadragesimali dispensationem obtinuit, cessante infirmitate, ad jejunium tenetur.

Q. Quid est Epiikia?

℞. Est benigna legis humanæ interpretatio, cum aliqua singularis caussa contingit, quae prudenti judicio judicatur a lege excipienda, licet legislator eam verbis non exceperit. Ita quamvis Ecclesiæ canones præcipiant recitare horas Canonicas, abstinere a carnibus in die Sabbati censetur excipienda caussa gravis infirmitatis. Nam leges humanæ non obligant cum gravi incommodo, ut communis est Theologorum sententia. Dixi: *legis humanae*; nam lex naturalis nullam *epiikiam* admittit, et si in aliqua peculiari circumstantia non obligat, non est propter *epiikiam*, sed quia tunc servanda est alia lex naturalis gravior.

CAP.

CAP. VIII.

DE CONSCIENTIAE, QUÆ EST PROXIMA REGULA ACTUUM HUMANORUM, DEFINITIONE, DIVISIONE, EJUSQUE APPLICATIONE.

§. I.

DEFINITIO, ET DIVISIO CONSCIENTIÆ

Q. Quomodo definitur conscientia?

℞. Definitur: *judicium practicum, quo intellectus dictat aliquid hic et nunc a lege esse praeceptum, aut vetitum, ideoque agendum, aut fugiendum*. Est igitur conscientia judicium veluti a quadam ratiocinatione deductum, qua intellectus considerat legem, videt actum singularem, et ex comparatione utrinsque judicat actum illum esse licitum, aut illicitum. Differt a *Synderesi*, quæ est primorum legis naturalis principiorum cognitio.

Q. Quomodo dividitur conscientia?

℞. Dividitur 1. in *rectam*, et *erroneam*. Conscientia recta est judicium practicum ex principio vero deductum, sive ex lege ante promulgata, et vigente. Conscientia erronea est judicium practicum, quod vel ex principio falso, vel vel ex principio vero, sed perperam adhibito deducitur. Si error nulla dili-

diligentia deprehendi potest, dicitur *invincibiliter* erronea. Si vero, adhibita diligentia, deprehendi potest, *vincibiliter* erronea nuncupatur. 2 in *certam*, et *dubiam*. Conscientia certa est judicium practicum, quod omnem excludit formidinem errandi. Conscientia dubia est potius judicii suspensio, quam judicium, cum scilicet mens inter æquales rationes fluctuans nihil affirmat, aut negat. 3. In conscientiam vel *unice probabilem*, vel *magis probabilem*, vel *minus probabilem*. Conscientia *unice probabilis* est judicium practicum, quod ex principio probabili, vel ratiocinatione non prorsus evidenti deducitur. Conscientia *magis probabilis* est judicium practicum, quod deducitur ex principio probabiliori, vel ratiocinatione evidentiori, quam aliud judicium ipsi contrarium, quod ex principio minus probabili, vel minori evidentia descendit. Conscientia *minus probabilis* est judicium practicum, quod descendit ex principio minus probabili, vel minori evidentia, quam sit judicium ei contrarium ex principio probabiliori, vel majori evidentia deductum. 4 in Conscientiam *scrupolosam*, et *perplexam*. Conscientia scrupolosa est, qua conjecturis levissimis, quæ prudentem virum non moverent, dubitatur, vel affirmatur, aliquid esse illicitum, quod est licitum. Conscientia perplexa est judicium, quo utrumque contradictionis extremum judicatur esse peccatum sive actus fiat, sive non fiat. 5. denique in *antecedentem*, et *consequentem*. Antecedens est, quæ actum mox facien-

§. III.

Conscientia certa, et dubia.

Q. Estne malus actus humanus, qui fit contra conscientiam *certam*?

℟. Certissime malus est; quia fit contra judicium, quod evidenti ratiocinatione ex certo principio deducitur, sine errandi formidine.

Q. Estne malus actus humanus, qui fit contra conscientiam *dubiam*?

℟. Advertendum est, dubium vel esse *juris*, vel *facti*. vel *speculativum*, vel *practicum*. Dubium *juris* est, cum dubitatur, utrum lex existat. Dubium *facti*, cum dubitatur de facto aliquo, ex. gr. utrum solutum sit debitum. Dubium *speculativum*, cum generatim dubitatur, an aliquid sit licitum. Dubium *practicum*, cum in *individuo* ambigitur utrum actus omnibus circumstantiis stipatus hic, et nunc sit licitus, an illicitus. His explicatis 1. Semper est malus actus humanus, qui fit ex conscientia *practice* dubia. Nam qui voluntarie se exponit peccandi periculo, procul dubio peccat, juxta illud *Eccli.* III. 27. *qui amat periculum, peribit in illo* Talis autem est actus humanus ejus, qui agit ex conscientia *practice* dubia. Et revera quis excusaret eum, qui dubitans utrum in potu venenum lateat, poculum ebiberet? Si igitur in dubio *practico* necessario aliquid agendum sit; tunc agens tenetur partem tutiorem eligere juxta juris effatum: *in dubiis tutior*

pars

pars est eligenda. 2 Semper est malus actus humanus, qui fit ex conscientia *speculative* dubia in lege naturali, et divina. Nam dubitatio *speculativa* in lege naturali, et divina non aufert legem, si vere existat, nec malitiam actioni, quæ contra legem est, quia utraque est immutabilis. Igitur dubitatio *speculativa* in lege naturali, et divina debet parere dubium *practicum*, ex quo operari semper malum est. 3. Non est, malus actus humanus, qui fit ex conscientia *speculative* dubia in lege humana. Nam leges humanæ pendent a legislatorum voluntate, et per consuetudinem contrariam cum tacito legislatorum consensu abrogari possunt. Cum igitur legislator novit varias, et contrarias esse Jurisconsultorum opiniones, quæ faciunt legem dubiam, nec ipse eas corrigit, censetur consentire, ut ea non obliget. Igitur potest homo juxta, vel contra eam licite operari.

§. IV.

CONSCIENTIA, SIVE OPINIO PROBABILIS.

Q. Licetne sequi opinionem probabilem?

R̸. Advertendum est aliam esse probabilitatem *extrinsecam*, aliam *intrinsecam*. Probabilitas extrinseca alicujus opinionis est, quæ nititur sola auctoritate. Probabilitas intrinseca alicujus opinionis est, quæ nititur ratione, Scriptura, aut Traditione. Rursus advertendum est, inter duas contrarias opini-

niones eam favere *legi*, quæ affirmat aliquid esse præceptum, cam vero favere *libertati*, vel potius cupiditati, quæ negat aliquid esse præceptum. Dixi: potius *cupiditati*; nam lex non est contraria libertati, sed eam moderatur, et regit. Hinc Propheta in *Psal.* CXVIII. ait, legem Dei esse sibi omnibus divitiis cariorem. *Dilexi*, inquit, *mandata tua super aurum, et topation*: quod sæpe in toto illo Psalmo variis verbis, atque sententiis repetit. His in antecessum positis 1. Licet sequi opinionem *unice* probabilem in praxi; nam opinio probabilis nititur auctoritate, aut ratione adeo gravi, quæ virum prudentem movere possit, nec ei contraria ratio, aut auctoritas adversatur. Hoc sufficit ad prudenter operandum in hac humana mentis infirmitate. 2. Non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati in conflictu opinionis æque probabilis, quæ favet legi vel naturali, vel divinæ. Nam hæc æqualis et contraria probabilitas parit dubium *practicum*, ut supra dictum est. At in dubio *practico*, *Sapiens timet*, *et declinat a malo*, *Stultus transilit*, *et confidit*. *Proverb.* XIV. 16. *qui et amans periculum*, *peribit in illo*. *Eccli.* III. 27. Hinc S. Thomas *Quodlibet.* IX. q. VII. *art.* 5. expendens utrum habere plures præbendas sine animarum cura, non obtenta dispensatione sit peccatum mortale, ait: *Omnis quaestio ubi de peccato mortali quaeritur*, *nisi expresse veritas habeatur*, *periculose determinatur*. Quid clarius? Et summi Pontifices in

quae-

quæstionibus decidendis constanter usi sunt eo principio : *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem* ; ut videre est in eorum Constitutionibus. Ergo non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati in conflictu opinionis æque probabilis, quæ favet legi . 3. Multo minus licet sequi opinionem probabilem faventem libertati in conflictu opinionis probabilioris , quæ favet legi naturali , aut divinæ . Hinc Augustinus *lib.* III. *cont. Academ.* demonstrat quod si ratio *probabilis* adoptetur , fiet ut *nefas omne* , *cum probabile cuiquam visum sit esse faciendum* , *non solum sine scelere* , *sed etiam sine erroris vituperatione committatur* ; quod probavit eventus , cum de quodam scriptore *Probabilista* per quendam sarcasmum dictitatum sit : *Ecce qui abstulit peccatum Mundi* . Summi Pontifices quamvis expresse non damnaverint Probabilismum , se tamen illud improbare professi sunt , praesertim Alexander VII. in *Decreto* anni 1665. die 7. Septembris , ubi ait , *se non sine magno animi mœrore audivisse , complures opiniones Christianae Religionis relaxativas . . . . . prodire . . . . et quod modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate . . . . quem si pro certa regula fideles in praxi sequerentur , ingens eruptura esset vitae Christianae corruptela* ; et Innocentius XI. in *Brevi* 26. Julii anni 1680 mandavit Thyrso Gonzalez Soc. Jesu , ut ipse *libere* , *et intrepide praedicet*, *doceat*, *et calamo defendat opinionem magis probabilem*

bilem . . . . *nec ullo pacto permitteret Patribus Societatis Jesu scribere pro opinione minus probabili, et impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis*. Et innumera Concilia Provincilia, Synodi Dioecesanae, literae *Pastorales* Episcoporum *Probabilismum* damnarunt, ut videre est apud *Marbesium*.. Denique *Probabilistarum* doctrina nova est; primi enim qui eam timide proposuerunt saeculo XVI. fuerunt *Mercatus*, et *Medina*, qui fassi sunt, veterum doctrinam esse sibi contrariam, imo communem Theologorum sententiam sua aetate ipsis adversari. At notum est illud Tertulliani lib de *Praescrip*. *Falsum quod recens inventum, quod posterius immissum*. 4. Licet sequi opinionem longe probabiliorem faventem libertati, relicta tutiori, sed minus probabili, quae favet legi h. e. quae magis removet a periculo peccandi: *Eccli*. VII. 17. *Noli esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas*. Et ex illa regula Juris *Cap*. 3. de *reg. jur*. in 6. *Qui certus est certiorari non debet*. Porro qui certum, et prudens judicium ex gravioribus, et verisimilioribus rationibus informat, quod habetur ex opinione longe probabiliori, favente libertati, hic vellet *certiorari* sequendo viam tutiorem, et fortasse viam certiorem eligens *obstupesceret*. Excipe leges necessarias necessitate *medii*, in quibus exequendis omnis contraria probabilitas attendi

non

non debet; nam sine earum legum executione finis obtineri non potest.

CAP. IX.

De peccati definitione, divisione mortalis, et venialis, distinctione, natura, et conditionibus; nec non de peccato habituali.

§. I.

Peccati definitio.

Q. Quomodo definitur peccatum?

℟. Definitur recte ab Augustino *Lib.* XXII. *cont. Faust. cap.* 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam*. Nullum enim peccatum fingi potest quod lege Dei aeterna non prohibeatur. Illa verba: *Dictum, factum, vel concupitum*, locum habent *generis*, in quo omnes actus deliberati boni aut mali conveniunt; reliqua verba *contra legem Dei aeternam* exprimunt *differentiam* peccati a quocumque actu deliberato bono.

Q. Peccatum originale, habituale, et omissionis habent veram peccati rationem, nec sunt *dictum, factum*, vel *concupitum*, cum non sint actus; cur dicitur recta recitata

Au-

Augustini definitio, quae non omne peccatum complectitur?

℟. 1. Peccatum originale, et habituale veram rationem peccati habent, quia sunt *dictum*, *factum*, vel *concupitum*, illud Adami; hoc singularis hominis *virtualiter* permanens, et animam maculans, et deformans. 2. Peccatum omissionis vel semper conjunctum est cum aliquo *positivo* voluntatis actu; ut volunt nonnulli Theologi; vel comprehenditur sub illa definitione; quia *affirmatio*, *et negatio reducuntur ad idem genus*, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. LXXI. art. 6. *Sicut in divinis genitum, et ingenitum ad relationem. . . . et ideo pro eodem accipiendum est dictum, et non dictum, factum, et non factum, concupitum, et non concupitum.*

§ II.

Peccati divisio.

Q. Quomodo dividitur peccatum?

℟. 1. Dividitur in *originale*, et *personale*. *Originale*, quod ex Adamo trahimus. *Personale* quod propria voluntate peccantis committitur. 2. Personale dividitur in *actuale*, et *habituale*. *Actuale* est ipse actus legi Dei aeternae contrarius. *Habituale* est macula ex actu praeterito in anima permanens. 3 Ratione *potentiae*, qua committitur, dividitur in peccatum *cordis*, *oris*, et *operis*. Prius est ex. gr. odium. Alterum ex. gr. blasphemia: Tertium ex. gr. homi-

committitur cum actu de Deo non cogitatur; hoc cum actu de Deo cogitatur. Quorum novam doctrinam damnavit *Alexander* VIII. Denique 11. dividitur peccatum in mortale, et veniale, illud dissolvit amicitiam Dei; hoc minime.

§. III.

Peccati mortalis, et venialis distinctio.

Q. Daturne distinctio inter peccatum mortale, et veniale?

℟. Lutherani, et Calvinistae, basis sui ipsorum systematis tenaces, quo docent concupiscentiam *formaliter* peccatum esse, eamque omnes actus inficere, statuunt omne peccatum esse mortale, nullumque dari peccatum natura sua veniale, sed ratione subjecti quædam peccata non imputari propter fidem, quædam imputari, et esse mortalia propter subjecti infidelitatem. In eundem errorem impegit *Bajus*. Sed dogma fidei est dari quædam peccata natura sua mortalia, et quædam natura sua venialia, h. e. quæ non dissolvunt Dei amicitiam. 1. Patet ex Scripturis dari peccata natura sua mortalia. Quis enim dubitaverit peccatum *Adae*, *Davidis*, *Salomonis*, *Petri* vere fuisse mortale, qui tamen ante peccatum justitiæ laude floruerunt? 2. Certum est ex sacris litteris dari peccata in seipsis levia, quæ comparantur *festucae*! *Matth*. VII. 3 *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*? Et hujusmodi peccata

 non

non dissolvere Dei amicitiam liquet ex quo etiam justi jubentur Deum orare in Oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra*, h. e. quasdam maculas absterge, quas ipsi sanctitate insignes ex usu rerum terrenarum contrahunt. Hinc Patres in illa Christi verba *Luc.* XII. 59. *Dico tibi non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas*, docent per novissimum minutum intelligi peccata venialia, quæ puniuntur quidem, sed non in æternum. Et Concilium Tridentinum *Sess.* VI. *Cap.* 7. inquit : *Licet in hac mortali vità quantumvis Sancti, et Justi in levia saltem, et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur peccata, quandòque cadunt, nec propterea desinunt esse justi*.

Q. Quomodo dari possunt peccata natura sua venialia, si per quodlibet peccatum violatur maximum illud, et primum mandatum, *Matth.* XXII. 39. *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua ?*

℟. Maximum illud, et primum mandatum : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde*, non violatur graviter, dummodo nihil Deo anteponitur, aut exæquatur. Diligere vero Deum actu continuo, et vehementi, qui excludit omnes subrepentes cogitationes est proprium Beatorum, qui status nobis proponitur tamquam finis in Patria obtinendus.

Q. Estne confundenda cum errore *Novatorum*, et *Baji* sententia *Joannis Gersonis*, qui

qui *lib. de vita spirituali* docuit misericordiæ Dei tribuendum esse, quod peccata venialia non puniantur pœna æterna?

℟. Minime confundenda est. Nam *Joannes Gerson* agnovit dari peccata natura sua venialia, nec ea dissolvere amicitiam Dei. Sed deceptus est affirmans, ea peccata natura sua mereri pœnam æternam. Si enim non dissolvunt Dei amicitiam, per quam homo filius Dei est adoptivus, et jus habet ad hæreditatem aliquando obtinendam in Patria, quomodo natura sua pœnam æternam mereri dicuntur? Facta hypothesi quod Deus misesicordia uti nollet, *filius*, et *heres* regni cœlestis pœna æterna puniretur, quod est absurdum.

§. IV.

Peccati mortalis, et venialis natura.

Q. Quænam est natura peccati mortalis?

℟. Sita est in aversione a Deo, et conversione ad creaturas, tamquam ad ultimum finem. Nam natura rei est quod primum concipitur in re, ex quo tamquam ex radice aliæ proprietates oriri intelliguntur. Quis non videt proprietates peccati mortalis ex aversione a Deo, et conversione ad creaturas tanquam ad ultimum finem dimanare? Sic, inducta in animam et a Deo aversione, et ad creaturas tanquam ad ultimum finem conversione, 1. Destruitur charitas. 2 Fit

offensio Dei quodammodo infinita 3. Animæ infertur mors spiritalis. 4. Affertur animae malum quodammodo infinitum. 5. Patratur malum natura sua irreparabile. 6 Redditur homo reus pœnae aeternae.

Q. Quænam est natura peccati venialis?

℞. Sita est in conversione ad creaturas, salvo tamen aliquo ordine ad Deum, tanquam ad ultimum finem. Nam licet peccatum veniale sit aliquis inordinatus actus, qui ad Deum non refertur, nec referri potest, hic tamen non impedit, queminus creatura rationalis *habitu* seipsam referat ad Deum, quem habitu diligit, ut ultimum finem. Hoc ordine habituali ad Deum, ut ad ultimum finem, posito, facile explicantur peccati venialis proprietates. 1. Non destruitur charitas. 2. Non infertur Deo injuria infinita. 3. Non sequitur mors spiritalis animæ. 4. Non affertur animæ malum infinitum. 5. Malum illud non est natura sua irreparabile. 6. Pœnam non meretur æternam. Quæ omnia vera sunt, quia salvus est ordo ad Deum, tanquam ad ultimum finem.

Q. Finis ultimus peccati, quod dicitur veniale, non potest esse Deus, cum illud peccatum ad Deum referri non possit; quomodo dicitur peccatum veniale esse conversio ad creaturas, salvo ordine ad Deum?

℞. Quamvis Deus non sit finis ultimus peccati venialis, est tamen finis ultimus ipsius peccantis. Cum enim peccatum veniale non destruat charitatem, creatura rationalis *habitu* seipsam ad Deum refert.

Q.

Q. Potestne peccatum ex veniali fieri mortale, aut plura peccata venialia peccatum mortale constituere ?

R. 1. Peccatum veniale non potest fieri mortale, quia *specie* inter se differunt. Quod si aliquando peccatum veniale evadit mortale, id accidit vel post sufficientem advertentiam, vel cum materia paulatim aucta evadit gravis; et tunc non unus, idemque actus censendus est, sed duplex. Sic in nonnullis per defectum advertentiæ leviter peccatur, et accedente advertentia, pervenitur ad contemptum Dei, ad quem per priorem actum nondum perventum erat: et qui unum, vel alterum minimum furatur non committit grave peccatum furti, sed si ea minima paulatim ablata constituant materiam gravem, grave furti peccatum est. In hisce causis dicuntur peccata venialia fieri mortalia per *accidens*. 2. Peccata venialia utcumque multiplicentur non constituunt peccatum mortale, exceptis duobus recitatis caussis, quia cum *specie* a peccato mortali differant, non possunt in illud commutari; quemadmodum homines utcumque multiplicentur non possunt Angelum constituere, quia ab eo *specie* differunt. Dicuntur tamen multa peccata venialia animam occidere, quia ad mortale disponunt.

§. V.

PECCATI MORTALIS CONDITIONES.

Q. Quænam conditiones requiruntur ad peccatum mortale constituendum?

℟. Duæ, sufficiens *advertentia* rationis cum actu libero voluntatis, et talis materiæ gravitas, ut Deus judicetur contemni, et creaturae postponi. Si una ex his conditionibus desit, non erit peccatum mortale, sed ad summum veniale. Sic mendacium jocosum licet dicatur cum plena *advertentia* rationis, et libero consensu voluntatis, deficiente materiæ gravitate, reputatur peccatum veniale. Et gravis vindictæ appetitus sine sufficienti *advertentia* rationis, et libero voluntatis consensu, quamvis materia gravis sit, censetur esse peccatum veniale.

Q. Quænam *advertentia* dicitur sufficiens ad peccatum mortale constituendum?

℟. Non requiritur *advertentia actualis*, qua quis actu, vel de malitia operis, vel de Deo cogitat; sed sufficit *virtualis*, h. e. qua agens possit, ac debeat advertere. Alioquin vel Christi interfectores nullum peccatum admisissent, ex eo quod Christus de illis ait: *Luc.* XXIII. 34 *Nesciunt quid faciunt*, vel homines, qui longa peccandi consuetudine obcallucrunt, non amplius peccant, cum hujusmodi homines non amplius se peccare advertunt, vel *Athei*, et *Epicurei*, qui nullum esse Deum existimant, ac proinde de

Deo

Deo actu non cogitant, minime peccarent; quod est absurdum.

Q. Si ad peccatum mortale constituendum sufficeret advertentia *virtualis*, cur Christus ait Pharisæis, *Joan.* IX. 41. *Si caeci essetis, peccatum non haberetis?*

℟. Qui habent *virtualem* advertentiam cæci non sunt, quia eorum error voluntarius est, quem possunt, et debent arcere. 2. Pharisæi, de quibus loquitur Christus nolebant se cæcos profiteri, quam caecitatem si in seipsis agnovissent, peccatum non habuissent, quia facile potuissent edoceri. *Nunc vero*, ait Christus in eodem loco, *dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet*, h. e. ut explicat Augustinus *Tract.* XLIV. in *Joan.* *medicum non quaeritis, et in caecitate vestra remanetis.*

Q. Undenam repetenda est materiæ gravitas, quæ constituit peccatum mortale?

℟. In nonnullis repetenda est ex gravitate finis; in aliis vero ex quantitate rei. Nam 1. Dantur nonnulla peccata, quæ vel fiunt directe contra Deum, ut sunt peccata contra fidem, spem, charitatem, et Religionem; vel valde dedecent naturam rationalem, ut sunt peccata contra VI. Decalogi præceptum. Hujusmodi peccata semper ferunt secum aversionem a Deo, ac proinde licet materiæ quantitas sit parva, tamen gravitas finis reddit ea peccata mortalia; nisi alias censenda sint venialia ex defectu advertentiae, aut liberi voluntatis consensus. 2. Dantur alia peccata, quae vel contra se-

ipsum, vel contra alterum fiunt. In hisce peccatis aestimandis attendenda est quantitas rei, quae si parva sit prudentum judicio, ea peccata esse possunt venialia ex materiae levitate.

§. VI.

PECCATUM HABITUALE

Q. Quid est peccatum *habituale*?

℟. Nomen peccati *habitualis* non usurpatur a Theologis pro consuetudine peccandi, sed pro macula, quae post peccati actum ad modum habitus remanet in anima, quae dici solet in Scripturis, *sordes*, *inquinamentum*, *immunditia*.

Q. Qua in re sita est illa macula?

℟. Theologi non conveniunt circa naturam illius maculae. Nobis verisimilior videtur sententia eorum, qui affirmant esse constituendam in habituali, et permanenti aversione a Deo, et conversione ad creaturas, ex actu peccati producta. Nam pulchritudo animae, quam efficit gratia, consistit in recto partium ordine, quo mens recte ordinata permanenter conversa est ad Deum, illum super omnia diligens. Ergo illa pulchritudo amittitur, ac proinde ipsa anima maculatur, cum a Deo avertitur, et convertitur ad creaturam, magis hanc diligens, quam Deum. Quod docuit S. Augustinus, cujus sententia est: *Anima media inter Deum, et creaturas conversione ad Deum* il-

illuminatur, *melioratur*, *et perficitur*; *conversione ad creaturas obtenebratur*, *deterioratur*, *et corrumpitur*. Idem tenuerunt S. Thomas, et S. Bonaventura.

Q. Peccatum veniale, cum non sit aversio a Deo, inducitne maculam in animam?

℟ Absolute non inducit maculam sive *habituale* peccatum in animam, sed inducit *secundum quid*. Sic S. Thomas *in* IV. *dist.* 16. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. *In veniali non manet aliqua macula*, *quia non tollit gratiam*, *quae est animae decor*, . . . *Sed sicut per pulverem pulchritudo faciei fœdatur*, *talis est macula in veniali*.

FINIS.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

CAP. I.

De fidei natura, subjecto, divisione, necessitate; et de peccatis fidei contrariis.

§. I.

Fidei natura, et subjectum.

Q. Quid est fides?

R. Ex Apostolo *Heb.* XI. 1. *Est . . . fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Dicitur 1. *substantia*, tum quia fundamentum est salutis nostrae, tum quod per eam res supernaturales veluti subsistentes intuemur, sicut de fide Moysis dicitur: *invisibilem tanquam videns sustinuit*. Dicitur 2. *rerum sperandarum*, quia ejus objectum Deus est, quo aliquando nos fruituros speramus, et ad quem caetera, quae credimus, referuntur; Dicitur 3 *argumentum*, per *metonymiam*, quia eam parit convictionem, qualis ex evidenti demonstratione oriri solet. Dicitur 4. *non apparentium* h. e. earum, quae nondum visione beata conspicimus.

Q.

Q. Quomodo definitur fides?

℟. Quamvis verba Apostoli recitata loco definitionis fidei haberi possint, tamen ad clariorem explanationem naturae fidei sic eam solent definire Theologi: *Virtus Theologica divinitus infusa, qua propter divinam veritatem firmiter assentimur omnibus, quae Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit*. Verba illa: *Virtus Theologica divinitus infusa* sunt *genus*, in quo conveniunt fides, spes, charitas; reliqua sunt *differentia*, in qua fides a spe, et charitate distinguitur. Dicitur 1. *Virtus Theologica divinitus infusa*, quia in Tractatu de *Gratia* demonstratum est contra Semipelagianos ipsum fidei initium esse supernaturale Dei donum. Dicitur 2. *qua propter divinam veritatem firmiter assentimur*; quibus verbis exprimitur *objectum formale* fidei h. e. *motivum*, et ratio, propter quam credimus, quæ est divina veritas, quam falli, et fallere repugnat. Dicitur 3. *Omnibus, quae Deus revelavit*, ut exprimatur *objectum totale*, et *adaequatum* fidei, cujus *objectum primarium* est ipse Deus, *secundarium* sunt cetera omnia, quæ ad Deum referuntur. Dicitur 4. *et nobis per Ecclesiam credenda proposuit*; quia Ecclesia est fidei custos, et interpres, ab ipso Deo constituta *columna*, et *firmamentum veritatis*. Unde celebre Augustini effatum *lib. cont. Epist. Fundament. cap. 4. Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas*.

dere Dei existentiam; credere Deo est fidem habere Deo vera loquenti; credere in Deum est Deo adhaerere per fidem, spem, et charitatem.

§. II.

Fidei divisio, et necessitas.

Q. Quomodo dividitur fides?

℞. 1. Dividitur in *habitualem*, et *actualem*. Habitualis est ipse habitus fidei, divinitus infusus, et inclinans animam ad faciliter, et prompte credendum. Actualis est actus fidei, quo rebus a Deo revelatis assentimur. 2. Actualis fides dividitur in *interiorem*, et *exteriorem*. Interior est intimus assensus rebus a Deo revelatis. Exterior est ipse assensus verbis, aliisve signis extrinsecus manifestatus. 3. Fides sive interior sive exterior dividitur in *implicitam*, et *explicitam*. Implicita est, qua generatim credentes omnia, quae Deus revelavit, *implicite* dicimur credere unumquodque singulare dogma. Explicita est, qua speciatim huic, vel illi dogmati assentimur. 4. Denique fides sive *habitualis*, sive *actualis* dividitur in *vivam*, et *mortuam*; *formatam*, et *informem*. *Viva* est, quae per charitatem operatur. *Mortua* est, quae bonis operibus vacua est. *Formata* est, quae charitatem habet adjunctam, qualis est fides justorum. *Informis* est, quam habent peccatores charitate, sive gratia sanctificante destituti.

Q.

Q. Fides estne necessaria?

R. 1. Fides *formata*, et *viva* aeque est necessaria, ac charitas, sive gratia sanctificans, a qua divelli nequit. 2. Fides *actualis* in infantibus non est necessaria, cum actus fidei non sint capaces, et, baptismo dumtaxat suscepto, salvi fiant. 3. Dogma fidei est, actum fidei *interioris* esse adultis necessarium necessitate *medii* ad salutem. Nam Apostolus *Heb.* XI. 6. ait: *sine fide impossibile est placere Deo*. Et *Marc.* XVI. 16. *Qui vero non crediderit condemnabitur*. Hinc Patres uno ore docuerunt, fidem esse necessariam ad salutem, eamque omni tempore per charitatem operantem homines justos, et sanctos effecisse. Et Concilium Tridentinum *Sess.* VI. *cap.* 8. vocat Fidem *salutis initium*, *fundamentum*, *et radicem*, *sine qua impossibile est placere Deo*, *et ad filiorum ejus consortium pervenire*. 4. Satis non est, actum fidei *interioris* semel in vita elicere, sed saepius, et frequenter est praeceptum illum renovare. Constat ex definitione Innocentii X. qui damnavit eam propositionem: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*. Et revera ex Apostolo *Galat.* III. *Justus ex fide vivit*. Igitur quemadmodum homo animalis, qui ex cibo vivit, cibum frequenter sumit, ita homo spiritualis fidem debet saepius renovare. Varii autem vitae actus, in quibus certissimum est esse repetendum, sunt, primo initium usus rationis; secundo cum gravis contra fidem urget tentatio; tertio cum susci-

pienda

pienda sunt sacramenta; demum in exitu vitae. Ceterum generatim dicendum est, toties actum fidei esse repetendum, quoties necesse est eum elicere, ut homo dicatur revera ex fide vivere. 5. Fidem exterius aliquo signo negare semper grave peccatum est, etiamsi simulate fiat. Nam clarissima est illa Christi sententia *Math* X. 33 *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*. Hinc *Eleazarus*, et *Machabaei* potius elegerunt acerbissimam mortem oppetere, quam adversus fidem, ac religionem simulare. Et Ecclesia *Libellaticos*, h.e. qui pecunia libellum a Magistratibus impetrabant, quo falso asserebatur, eos mandatis Imperatorum paruisse, gravi, ac diuturnae poenitentiae subjecit. 6. Praeceptum est aliquando fidem exterius profiteri. Nam ut ait Augustinus *lib de Fide, et Symbolo cap.* I. *Fides duplex a nobis officium exigit cordis, et linguae*. Duae praecipue sunt caussae ex S. Thoma 2. 2. q. III. *art.* 2 in quibus jubemur fidem exterius profiteri, nempe cum ex nostro silentio honor Deo debitus subtraheretur; et cum aliorum scandalum, et ruina timeri debet.

Q. Si grave peccatum est, fidem exterius negare; cur *Naamano* Syro petenti ab Elysaeo, ut sibi liceret, innitente Domino suo super manum suam, adorare in templo Remmon, respondit Elysaeus: *vade in pace?*

R. Nonnulli Theologi ex textu originali conantur demonstrare *Naamanum* Syrum petiisse

tiisse veniam de actibus praeteritis. Sed quia Vulgata nostra loquitur de actibus futuri temporis communis est responsio *Naamanum* Syrum petiisse, ut sibi liceret officium mere civile Domino suo exhibere supponendo manum ad sustendandum eum, cum adorasset in templo Remmon; quod officium mere civile nulli scandalum esse poterat, cum unusquisque sciret jam eum fuisse ad verum Deum conversum, ex quo sanatus fuerat a Propheta.

Q. Quot modis fides exterius negari potest?

℟. 1. Verbis, cum aliquid ore negatur. 2. Nutibus, cum aliquis interrogatus utrum fidem negare velit, nutu annuat. 3. Factis, nempe thura idolis adolendo, vel coram ipsis genuflectendo, vel vestes gestando, quae sunt falsae Religionis signa; etc.

Q. Negatne exterius fidem, qui in persecutione fugit?

℟. Ita sensit Tertullianus in libro de *fuga in persecutione*, sed erravit; quia ipse Christus dixit *Matth.* X. 23. *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Unde ipsi Sancti tempore persecutionis vel fugerunt, vel latuerunt; quorum exempla suppeditant Historiæ Ecclesiasticæ. Ipsa enim fuga exterior fidei professio est, nam si fideles eam negare vellent, non fugerent.

Q. Licetne Pastoribus in persecutione fugere?

℟. Si persecutio contra solum Pastorem dirigitur, nec inde aliud malum timetur

gre-

gregis ex eorum absentia, licet fugere, commissa interim alteri cura gregis. Sed si persecutio ipsum gregem impetit, quem verisimile est periturum ex Pastorum absentia, manendum est, etiam cum periculo mortis; nam *Joan.* X. 11. *Bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis*.

§. III.

Peccata contraria fidei.

Q. Quot sunt peccata contraria fidei?

℟. Sunt tria: Infidelitas, Hæresis, et Apostasia.

Q. Quid est infidelitas?

℟. Infidelitas duplex est, *negativa*, et *positiva*. Infidelitas *negativa* est eorum, qui nihil unquam audire potuerunt de Evangelio. Infidelitas *positiva* est eorum, qui religionem sibi expositam rejiciunt. Prior peccatum non est, cum sit in illis vere involuntaria; nec ii damnantur propter infidelitatem *negativam*, sed vel vitio originis, vel propriæ additamento voluntatis. Posterior grave peccatum est.

Q. Quid est Hæresis?

℟. Est error voluntarie electus ab eo, qui Christianam Religionem profitetur, contra aliquod dogma, cum pertinacia voluntatis. Ad pertinaciam autem voluntatis sufficit scire contrarium ab Ecclesia tradi, ut dogma fidei; ideoque cum hujusmodi pertinacia non est, error dicitur hæresis *materialis*,

non

non vero *formalis*. Hæresis vel est mere *interna*, quæ animo concepta nullo exteriori signo exprimitur; vel mere *externa*, quæ sine errore intellectus, et pertinacia voluntatis in signo tantum exteriori consistit; vel est *interna* simul, et *externa*, cum scilicet adest error in intellectu cum pertinacia voluntatis, et aliquo signo exteriori significatur.

Q. Quid est *Apostasia*?

℟. Est totius Religionis Christianæ ejuratio. Nec differt specie ab Hæresi, sed tantum in majori gravitate.

Q. Licetne communicare cum Infidelibus?

℟. 1. Non licet cum iis communicare in eorum superstitiosis ritibus. II Cor. VI. 15. *Quæ conventio Christi ad Belial, aut quae pars fidelis cum infideli?* 2. Licet cum iis communicare in civili societate, modo absit periculum subversionis. I Cor. X. 27. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate*. 3. Licet cum iis communicare in rebus, quæ natura sua bonæ sunt, et quibus infideles æque in bonum, et malum finem culpa sua abuti possunt. Nam si ad malum finem abutantur, tunc fidelis cooperatio dicitur *indirecta*, et remota, quæ si vitanda esset, omnis omnino cum illis abrumpenda esset societas. Secus vero, si certissime abutantur infideles opera fidelis ad malum finem.

Q. Licetne communicare cum Hæreticis, et Apostatis?

℟. Hæretici, et Apostatæ sunt excommuni-

nicati tolerati, antequam publice, et nominatim fuerint denuntiati. Postquam vero publice, et nominatim denuntiati sunt, evadunt excommunicati *vitandi*. Igitur cum iis licet vel non licet communicare, prout cum excommunicatis toleratis; vel vitandis prohibetur, vel non prohibetur communicare. Semper tamen cavendum est maximum subversionis periculum.

C A P. II.

De Spei natura, subjecto, necessitate; et de peccatis spei contrariis.

§. I.

Spei natura, et subjectum.

Q. Quid est Spes?

℟. Nomen spei tria significat. 1. ipsam rem speratam, ut apud Apostolum *Tit.* II. 13. *Expectantes beatam spem*. 2. causam, quæ efficit, ut speremus, sive ea sit *principalis*, ut cum ad Dominum clamamus *Psal.* XC. *Tu es Domine spes mea*; sive sit instrumentalis, ut cum dicimus Beatae M. Virgini: *Spes nostra salve*. 3. Actum, vel habitum sperandi, ut apud Apostolum I. *Cor.* XIII. *Nunc autem manent tria haec, fides, spes, charitas*; quo sensu spes hic accipitur.

Q. Quomodo definitur Spes Theologica?

℟.

℟. Recte definitur: *Virtus Supernaturalis Theologica, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, et media illius adipiscendae ex divino auxilio expectamus*: Dicitur 1. *Virtus*; quia facit bonum habentem se, et opus ejus bonum, *Psal* II. *Beati omnes, qui confidunt in eo* 2. *Supernaturalis*, ut demonstratum est in Tractatu de *Gratia* contra Pelagianos, et Semipelagianos. 3. *Theologica*; quia habet pro objecto *materiali primario* Deum, in quo sita est aeterna beatitudo, et pro objecto *formali* bonitatem Dei erga nos, omnipotentiam, et misericordiam. 4. *per quam certa cum fiducia*; spes enim in se spectata nititur certissimo fundamento, scilicet bonitate Dei quoad nos, per omnipotentiam, et misericordiam suam. *Rom.* V. 5. *Spes autem non confundit* 5. *futuram beatitudinem*, *et media illius adipiscendae*; quibus exprimitur id, ad quod tendit spes, nempe aeterna felicitas, et auxilia, sine quibus ea obteneri non potest. 6. *expectamus ex Dei auxilio*; quia ad aeternam quietem non possumus propriis viribus pervenire; sed solo Dei adjutorio, atque ideo potius expectare dicimur, quam sperare; nam ut advertit S. Thomas 1. 2. *q.* XL. *art.* 2. *aliquis . . . . . proprie dicitur expectare, quod sperat ex auxilio virtutis alienae*.

Q. Vitium est referre Deum ad nos tanquam ad finem. Cum id fiat per spem; quare ea appellatur *virtus*?

℟. Vitium est referre Deum ad nos tan-

quam ad finem, cujus gratia operamur, nam non nos, sed ipse Deus est finis ultimus omnium rerum. At vitium non est referre Deum ad finem, cui tantum bonum optamus, nempe ut Deum possidentes simus beati, quod ipse Deus, ut optemus, praecipit. Ita enim sperantes non sistimus in nobis ipsis, sed ipsam nostram beatitudinem ad Dei gloriam referimus.

Q. Amare Deum propter nostram felicitatem nonne est amare amore mercenario, qui est in vitio positus?

℟. In vitio positus, et vituperatione dignus est amor *mercenarius* proprie dictus, nempe rerum temporalium, non vero amor mercedis aeternae, quae est ipse Deus, cujus promissione ipse Christus nos in adversis rob rat dicens *Matth.* V. 12. *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*.

Q. Spes non excludit timorem: imo Deus ipse, qui vult ut speremus, vult etiam, ut timeamus *Matth.* X. 28. *Timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam*. Quo pacto positum est in definitione spei *certa cum fiducia?*

℟. Spes per se, et ratione principii sui, cui innititur, excludit timorem; nititur enim bonitate, misericordia, et omnipotentia Dei; quibus nihil certius, et firmius esse potest. Sed relate ad nos, qui infirmi, et instabiles sumus, timorem non excludit. Sic certissimae sunt regulae artis, et tamen artifex timet, quanto pretiosior est materia, circa quam

quam occupatur. Deus vero praecipit ut timeamus, quia ex metu propriae infirmitatis magis de nobis ipsis diffidimus, et nostram spem in Deo solo collocamus.

Q. Quodnam est spei subjectum?

℟. Omnis homo, in quo reperitur spes juxta ac a nobis est definita. Hanc non habent spem 1. Damnati, quibus nihil amplius superest sperandum, scilicet nec aeterna beatitudo, nec ulla auxilia. 2. Beati, qui jam possident, quod in via speraverunt; nam *quod videt quis quid sperat? Rom.* VIII. 24. Expectant vero corporum suorum resurrectionem non ex spe sed ex charitate, qua Deum diligentes desiderant, ut ejus gloria in corporum suorum resurrectione magis splendescat. 3. Infideles, et Haeretici; nam ubi non est fides, nec cognoscuntur supernaturaliter bonitas Dei erga nos, misericordia, et omnipotentia. 4. Spes remanet in peccatoribus, dummodo speciali disperationis peccato eam non abjiciant.

§. II.

Spei necessitas.

Q. Spes estne necessaria?

℟. Primo advertendum est spem considerari vel quoad *habitum* vel quod *actum*. Secundo advertendum est, aliam esse necessitatem *medii*, aliam *praecepti*. His positis 1. *Quietistae* accenuunt dari statum perfectionis, in quo sicut omnis timor, sic omnis spes salutis ae-

aeternae sit adspicienda. In quo solemniter decepti sunt. Nam Apostolus loquens de viris ad apicem perfectionis evectis *Rom.* VIII 23 sic ait: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus.* Et omnibus fidelibus praecipit *Philip.* II. 12. *cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Augustinus in *Psal.* CXXII. *Non praeter spem*, inquit, *esse debemus . . . . Ille deorsum est per compassionem, et nos sursum sumus spe charitatis. Spe enim salvi facti sumus*, *Rom.* VIII. 23. idem docuerunt alii Patres. Denique quomodo potest esse vera charitas si non conjungatur cum desiderio salutis aeternae, quae in illius boni nempe Dei possessione consistit? 2. Nonnulli *Casuistae* etsi tenerent, spem quoad *actum* esse necessarium necessitate *medii* ad justificationem, tamen docuerunt nullum esse praeceptum eliciendi actum spei, quod *per se* obligaret. Nos dicimus, actus spei esse necessarios adultis non solum necessitate *medii*, sed etiam *praecepti*. Nam fides dicitur ab Apostolo *Heb* XI. 1 *Sperandarum substantia rerum*. Sicut igitur fidei actus sunt necessarii necessitate *medii*, ita etiam actus spei. Unde Ambrosius *lib. de poenit. cap.* 1 *Nemo*, inquit, *potest bene agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam*. Et Concilium Tridentinum *Sess.* VI. *cap.* 6. inter dispositiones ad justificationem necessarias etiam spem recenset. Esse autem actus

spei

spei necessarios necessitate *praecepti* clarissime colligitur ex Scripturis. *Psal.* XXXVI. *Spera in Domino et fac bonitatem.* I *Pet.* I. 13. *Sperate in eum, quae offertur vobis gratiam* Hinc merito Alexander VII. damnavit eam *Casuistarum* propositionem. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes obligantium.* Communis Theologorum sententia est, varia vitae tempora, in quibus urget præceptum spei præcipue esse 1. initium usus rationis. 2. exitum vitae. 3. cum graves contra spem ingruunt tentationes. 4. cum de peccatis agenda est pœnitentia. 5. quando est orandum; nam sine spe frustra funditur oratio.

Q. Si non datur perfectionis status, in quo omnes omnino abjicienda est spes pro, riae salutis aeternae, quomodo innoxie potuit Moyses sic Deum orare pro Israelitis. *Exod.* XXXII. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam. aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Paulus *Rom.* X. 3. *optabam anathema esse pro fratribus meis?*

℟. Juxta Hieronymum in Epistola ad *Algas* Moyses locutus est de vita temporali, non vero de vita aeterna. At si juxta Chrysostomum Moyses locutus est de vita aeterna, quemadmodum etiam Paulus, dicendum est eos locutos fuisse more humano, ad explicandam amoris vehementiam, ut si fieri posset optassent etiam aeternam pœnam subire, dummodo ii pro quibus orabant, salutem æternam consequerentur.

§ III.

§. III.

Peccata spei contraria.

Q. Quot sunt peccata spei contraria?

℟. Duo; *desperatio*, et *praesumtio*.

Q. Quid est *desperatio*?

℟. Est animi dejectio, ac diffidentia obtinendi futuram beatitudinem, et media ad eam consequendam necessaria. Haec autem desperatio oriri solet, vel a fastidio rerum divinarum, vel ab aliquo errore circa fidem, vel a graviorum scelerum conscientia, ut accidit in *Caino*, et *Juda*.

Q. Quid est *praesumtio*?

℟. Est temeraria fiducia obtinendi futuram beatitudinem alia ratione ab ea, quam Deus constituit; ut si quis vel propriis viribus, vel sine oratione, vel sine peccatorum poenitentia, vel, uno verbo, sine adjumentis a Deo constitutis vana spe confidit, se vitam beatam consecuturum.

CAP. III.

DE CHARITATIS NATURA, OBJECTO, NECESSITATE; DE PRÆCEPTIS CHARITATIS ERGA PROXIMUM; DE PECCATIS CHARITATI CONTRARIIS.

§. I

NATURA, ET OBJECTUM CHARITATIS.

1. QUid est charitas?

℞. Est maxima omnium virtutum. *Charitas*, ait Augustinus *lib.* XV. *de Trin. cap.* 18. *est donum Dei, quo nullum excellentius. Sola est, quae dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis.*

Q. Quomodo definitur charitas?

℞. Recte definitur: *Virtus infusa Theologica, qua Deum amore benevolentiae super omnia diligimus, et caetera propter ipsum.* Dicitur 1. *Virtus*, quia facit maxime bonum habentem se, et opus ejus bonum. Inquit enim Augustinus *Tract.* VII. in 1. *Joan. Habere nomen Christi et malus potest; habere charitatem, et malus esse non potest.* 2. *Infusa*, ait enim Concilium Arausicanum II. *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* 3. *Theologica*, quia habet pro primario objecto Deum, omniaque ipsius attributa. 4. *qua Deum amore benevolentiae*, ut distinguatur a spe, qua diligitur Deus intuit-

tu

tu mercedis aeternæ. 8. *Super omnia diligimus*, h. e. non solum super omnia creaita, sed etiam plusquam nosmetipsos, *vel intensive*, nempe amore maxime ferventi, vel *appretiative* tantum, cum nulla res a Deo nos divellere potest. 6. *et caetera propter ipsum*; qui enim vere amat amicum, diligit omnia, quæ ad eum spectant.

Q. Quodnam est objectum charitatis?

℟. 1. Objectum *materiale primarium* est Deus, et omnia ipsius attributa, *materiale secundarium* omnes creaturæ rationales ejusdem nobiscum æternæ beatitudinis capaces. Hinc soli Dæmones, et damnati non sunt charitatis objectum *materiale secundarium*, quia sine spe ab aeterna beatitudine sunt exclusi. 2. Objectum *formale* est divina bonitas *per se*, quæ in Deo et ratione essentiae in creaturis rationalibus per participationem. Sic Bernardus *Tract. de diligendo Deo cap.* 12. *Qui timet, et qui cupit, utrique pro se agunt; sola, quae in filio est charitas, non quaerit, quae sua sunt*. Nominavi autem tantum creaturas *rationales*, quia quamvis in cæteris creaturis eluceat Dei bonitas, tamen cum non sint aeternae beatitudinis capaces, non sunt diligendæ amore benevolentiae, sed dumtaxat *indirecte*. quatenus propter Dei gloriam existunt, et ad hominum salutem possunt conferre.

Q. Angeli habent naturam ab humana diversam: Peccatores odio habentur a Deo: Infideles, et Excommunicati sunt extra Ecclesiam: Inimici nihil non faciunt, ut no-

strum odium mereantur.. Cur generatim dictum est, omnes creaturas rationales esse *objectum materiale secundarium* charitatis?

R. Quia charitas sita est in communione ejusdem beatitudinis, qua omnes creaturae rationales unum cum Deo fiunt. Porro 1. licet Angeli diversam habeant naturam ab humana, gaudent tamen in sua natura de aeterna Dei visione. 2 Peccatores odio habentur a Deo ratione peccati h. e. quatenus peccatores sunt, non vero ratione naturae, quam Deus condidit aeternae gloriae capacem, et, ut eam consequerentur, morti acerbissimae suum proprium Unigenitum tradidit. 3. Infideles, et omnes excommunicati sunt extra Ecclesiam, sed ipsa Ecclesia optat, ut ad suum sinum illi se convertendo, hi resipiscendo veniant, et salutem, quæ extra Ecclesiam esse non potest, consequantur. Hinc fundit preces pro infidelibus, nec vetat privatim orare pro excommunicatis. 4. Licet inimici nostri nihil non faciant, ut odium nostrum mereantur, tamen nos debemus eos diligere exemplo Christi considerantes in ipsis imaginem Dei, ob quam sunt æternæ beatitudinis capaces, et si a peccatis mundentur *actu* eam obtinebunt.

Q. Amor, quo Deus diligitur propter seipsum, est a falsis *Mysticis* confictus, nec videtur possibile aliquid amari, quod non sit utile ipsi amanti. Quare dictum est Dei bonitatem *per se* esse objectum *formale* charitatis?

R. 1. Latissimum est discrimen inter Mysticorum errorem, et nostram doctrinam in

Scri-

Scripturis, et Patribus fundatam. Mystici docuerunt dari statum perfectionis, in quo non est quærenda amplius vita aeterna, sed tantum diligendus Deus propter seipsum. Nos dicimus per *spem* semper expectandam esse felicitatem, et per *charitatem*, ipsam spem et aeternam felicitatem ad Deum referendam, in quo situs est amor Dei propter seipsum.[1] 2. Possibile est per Dei auxilium, ut quod amamus, quia nobis est utile, ulterius ad Dei amorem propter seipsum referamus; et hoc fit per charitatem.

§ II.

Necessitas charitatis erga Deum.

Q. Estne necessaria charitas erga Deum?

℟. Advertendum est, charitatem aliam esse *habitualem*, aliam *actualem*. Habitualis est habitus charitatis permanenter in anima inhærens usque dum non amittatur per peccatum grave. Actualis est vel ipsius charitatis habitualis actus, vel qua peccator Deum diligere incipiens disponitur ad recipiendam in justificatione gratiam sanctificantem. His explicatis dicimus 1. charitatem *habitualem* esse necessariam necessitate *medii* ad salutem. Nam charitas habitualis vel est ipsa gratia sanctificans, vel ab ea separari non potest. Quemadmodum igitur sine gratia sanctificante non potest homo salutem aeternam consequi, ita non potest homo salvus esse sine charitate *habituali*. 2. Affirmamus charita-

tem *actualem* esse necessariam necessitate *praecepti*, et quidem distincti a reliquis legis divinae præceptis *Deuter*. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis*. Unde Augustinus sic ad Deum clamabat, *lib*. I. *Confess. cap*. 5. *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me; et, nisi faciam, mineris ingentes miserias*. Dixi: *et quidem distincti a reliquis legis divinae praeceptis*; nam cum Scripturae frequenter appellent hoc præceptum diligendi Deum primum, et maximum omnium præceptorum, ac proinde declarent illud esse speciale, et distinctum a reliquis, Alexander VIII. damnavit merito hanc propositionem: *sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae mortalis*. Et Clerus Gallicanus damnavit hanc alteram: *Praeceptum affirmativum amoris Dei non est speciale, sed generale, cui per aliorum praeceptorum observationem satisfit*.

Q. Quænam sunt tempora, in quibus præceptum dilectionis Dei obligat?

℟. Sunt 1. initium usus rationis, de quo S. Thomas sic scribit 1. 2. *q* LXXXIX. *art*. 6. *Hoc tempus, pro quo homo obligatur*, scilicet ad dilectionem, *ex Dei praecepto affirmativo, quo Dominus dicit: convertimini ad me, et ego convertar ad vos*. 2. Cum urget tentatio vel contra ipsam charitatem, vel contra alia præcepta, quæ facile servantur, cum charitas frigescens per repeti-

tos

tos actus accenditur. 3. Cum eas Dominicae orationis preces fundimus: *sanctificetur nomen tuum*, *fiat voluntas tua*. Iis enim precibus profitemur nos plus Deum diligere, quam nosmetipsos, et nostra. 4. Finis vitae, tunc enim properamus ad eum finem, ad quem per charitatem semper contendimus. Sed generatim *quidquid aliud venerit in animum*, *illuc rapiatur*, nempe ad Deum, *quo totus dilectionis impetus currit*, inquit Augustinus *lib.* de *Doctr. Christ.* cap. 22.

§. III.

Necessitas charitatis erga Proximum.

Q. Estne necessaria charitas erga proximum?

R. Est necessaria necessitate praecepti non solum *exterior*, verum etiam *interior* charitas erga Proximum. Nam Christus jubet nos diligere proximum ea charitate, qua ipse nos dilexit, *Joan.* XV. 12. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Ipse autem nos dilexit non solum charitate *exteriori*, quam vocant amorem *effectivum*, sed etiam charitate *interiori*, quae amor *affectivus* nuncupatur. Quod necessario animadvertendum est contra nonnullos *Casuistas*, quorum has duas propositiones damnavit Innocentius XI. *Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali: Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*.

Q. Quaenam conditiones debet habere charitas erga proximum?

℟. Ex S. Thoma 1. 2. *q.* XLIV. *art.* 7. debet esse *sancta*, *justa*, et *vera*. 1. *Sancta*, h. e. ut proximum propter Deum diligamus. 2 *justa*, h. e. ut non optemus proximo, nisi verum bonum, quo possit ad beatam vitam pervenire. 3 *vera*, h. e. ut procedat ex animo erga proximum benevolo.

Q. Quinam ordo servandus est in charitate *interiori*, sive amore *affectivo* erga proximum?

℟. Ordo charitatis *interioris*, sive amoris *affectivi* erga proximum sumendus est ex dignitate, ac praestantia eorum, qui diliguntur. Hinc 1 Angeli, et Sancti magis, aut minus diligendi sunt pro majori, aut minori eorum sanctitate. 2. Magis diligendi sunt homines justi, quam peccatores. 3. Magis est diligenda anima, quam corpus, imo magis anima proximi, quam corpus nostrum.

Q. Quinam ordo servandus est in charitate *exteriori*, sive in amore *effectivo* erga proximum?

℟. Ordo charitatis *exterioris*, sive amoris *effectivi* erga proximum repetendus est ex vario necessitatis gradu, in quo versatur proximus, ex vario conjunctionis gradu, quam nobiscum habent, et ex vario bonorum genere, quibus egent. Porro necessitas triplex est *communis*, *gravis*, et *extrema*. *Communis* est, qua quis indiget aliorum ope, sed passim ei ab aliis succurri potest, ut necessitas pauperum, qui ostiatim mendicant.

Gra-

Gravis est eorum, qui in gravi versantur discrimine, nec iis passim potest succurri, ut sunt nobiles ad statum mendicantium dejiciendi, nisi ipsis succuratur. *Extrema* est illorum, quibus nisi succurratur, certissime sunt perituri. Deinde varius est conjunctionis gradus: primo loco ex S. Thoma habendi parentes, postea uxor, deinde filii, demum fratres, alii ac cognati, alii aliis proximiores, aut remotiores. Denique varia sunt bonorum genera, quibus indigere potest proximus: primum locum tenent spiritualia; secundum vita corporis; tertium fama; quartum bona temporalia, quæ dicuntur fortunæ. His explicatis 1. in pari necessitatis gradu vita spiritualis nostra præferenda est vitæ spirituali proximi. 2. in extrema necessitate spirituali proximi succurrendum est ei cum periculo vitæ nostræ temporalis. 3. In gravi necessitate spirituali proximi non tenemur cum evidenti vitæ periculo ei succurrere, si simus privati; nam Pastorem teneri communis est Theologorum sententia ob illud Christi dictum: *Bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis*. 4. Cum in pari necessitate circa eadem bona multi positi sunt, proximiores juxta diversitatem graduum supra descriptam præferendi sunt remotioribus. Generatim tamen ne erretur, habenda est ante oculos diversitas *necessitatis*, *conjunctionis*, et *bonorum*, et iis veluti in libra positis, erga eum proximum charitas *exterior*, sive amor *effectivus* exercendus est, erga quem magis pondus inclinat.

traditur . *Deuter.* XV. 11. *Ego praecipio tibi , ut aperias manum fratri tuo egeno , et pauperi* . *Tob.* IV. 7. *Ex substantia tua fac eleemosynam* . I. *Tim.* V. 18. *Divitibus hujus saeculi praecipe , facile tribuere* , et alibi centies . Dixi *graviter obligans* ; nam hujus praecepti violatores æterna pœna puniuntur ; imo , quod est animadversion dignum , quamvis peccatores ob alia scelera sempiterno igne plectuntur , tamen in extremo judicio eorum damnationis causam omissioni hujus præcepti tribuet Christus dicens : *Discedite a me maledicti in ignem aeternum . . . . esurivi enim , et non dedistis mihi manducare , sitivi et non dedistis mihi potum* ; et cet.

Q. Quo ordine , et ex quibus bonis facienda est eleemosyna ?

℟. 1. Si pauper sit in *extrema* necessitate succurrendum est ei ex bonis vitæ nostræ superfluis , licet ad decentiam status necessariis ; nam vita proximi pluris facienda est , quam bona vitæ nostræ superflua . Dixi : *Licet ad decentiam status necessariis* , non vero *ad ipsum statum* ; non enim quis tenetur statum mutare , ut succurrat proximo in extrema necessitate versanti . 2. Si pauper sit in *gravi* necessitate non solum succurrendum est ei ex bonis status superfluis , sed etiam ex iis , quæ ad aliquem status splendorem necessaria sunt . Quis enim non indignatur , cum videt in magnum famulorum, et equorum numerum insumi ea , quæ

ad

ad sublevandum proximum in gravi necessitate versantem, sine gravi divitis incommodo, adhiberentur ? 3. Si pauper sit in necessitate *communi* opitulandum est ei ex bonis tum vitæ, tum statui superfluis. Christus enim absolute pronuntiat *Luc.* XI. 41. *Quod superest date pauperibus*. Quo in loco si nomine *pauperum* intelligerentur versantes in necessitate *gravi*, aut *extrema*, non vero in necessitate *communi*, hujusmodi pauperibus ostiatim mendicantibus, nemine succurrente, esset moriendum, quod impium est asserere.

Q. Quænam sunt illa bona tum vitæ, tum statui superflua, quæ erogari debent communibus pauperibus?

℟. In horum superfluorum æstimatione tutius est divitibus, viros doctos, sanctos, et prudentes, quam scipsos, consulere. Videmus enim non raro, maximo animi mœrore, communes pauperes, qui Christi personam gerunt expelli ea prætextu, quod nihil habeant divites statui superfluum, juxta æstimationem amoris proprii, non vero Christianæ charitatis.

Q. Quænam debent esse conditiones eleemosynæ faciendæ?

℟. Quinque 1. debet esse *prudens*, h. e. habita ratione tum indigentiæ pauperum, tum temporum difficillimorum, in quibus largius manus est aperienda. 2. Debet esse *prompta* ut monet Sapiens. *Proverb.* III. 28. *Ne dicas amico tuo vade, et revertere, cras enim dabo tibi* 3. Debet esse *hilaris*, alioquin ait Augustinus in *Psal.* XLII. "*Si panem dederis tristis panem, et meritum perdi-*

dedisti. 4. Debet esse *modesta*; h. e. non eo fine fiat, ut largiens videatur ad hominibus. 5. Debet esse *urbana*, nam *Proverb.* XVII. 5. *Qui despicit pauperem, exprobat factori suo*.

§. V.

Praeceptum correctionis fraternæ.

Q. Extatne præceptum corrigendi proximum delinquentem?

℞ Extat; et quidem corrigendi sunt non solum aequales verum etiam superiores, et maxime inferiores, ac subditi. *Math.* XVIII 10. *Si in te peccaverit frater tuus vade et corripe eum*. Et *Eccli.* XIX. 13. *corripe amicum ne addat facere . . corripe proximum ne forte iteret*. Unde Augustinus *Serm.* XXI *De verbis Dom* ait: *Si neglexeris corripere pejor eo factus es, qui peccavit*. Dixi 1. *verum etiam superiores*, ut patet exemplo Pauli, qui Petrum correxit, *Gal.* II. 11. *quia reprehensibilis erat*. Quod non arroganter et potius obsecrationibus, quam increpationibus est faciendum. Dixi 2. *maxime inferiores, et subditi*, ad eos enim corrigendos tenentur, qui præsunt, non solum ex charitate, sed etiam ratione muneris, quo funguntur.

Q. Quænam peccata sunt materia correctionis fraternæ?

℞. 1. Peccata mortalia vel commissa, vel certo, et proxime committenda. 2. Etiam non-

nonnulla peccata venialia quæ certis hominibus excidentia possunt proximum in periculum peccandi conjicere, ut nonnulla in Clericis et Religiosis peccata venialia. 3. Nonnulla peccata venialia, quæ totius communitatis disciplinam labefactant. Omnia vero omnino peccata venialia corrigere et inutile est, et qui corrigeret, intolerabilis fieret.

Q. Quandonam urget præceptum correctionis fraternæ?

℟ Cum tria habentur 1. certa notitia peccati vel commissi, vel committendi, alioquin injuria inferretur ei, qui corrigitur. 2. Spes emendationis. Nam ait Sapiens *Eccl.* XXXI. 6. *Non effundas sermonem, ubi non est auditus*. Correctio vero tunc omittenda, cum certum moraliter est, eam non profuturam, si vero non erit profutura corrigendo, sed utilis censebitur circumstantibus, non omittenda, nisi forte ex correctione majora scandala timeantur. 3. Opportunitas temporis, cum nempe ad aliud tempus dilata opportunior existimatur.

Q. Quinam modus adhibendus est in correctione fraterna?

℟. 1. Si peccatum sit publicum, publice est facienda. Nam ait Apostolus I. *Tim.* V 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant*. 2. Si peccatum sit occultum, servanda est regula Christi de eo præcepto. *Math.* XVIII. 13 *Si in te peccaverit frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.... quod si non* au-

audierit adhibe tecum adhuc unum, vel duos . . . . . quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Verum hic corrigendi modus mutari potest, et statim ad Superiorem deferendum crimen, si vel correctio secreta evidenter appareat inutilis, vel crimen in damnum publicum vergit, vel correctio adhibita a Superiore non tanquam judice, sed patre, et remoto infamiae peccantis periculo, utilior existimatur. 3 Correctio debet esse fortis et mansueta. h. e. validis rationibus, sed leniter propositis. *Tim.* IV. 2. *Increpa in omni patientia, et doctrina*.

§. VI.

Peccata charitati contraria.

Q. Quot sunt peccata charitati contraria?

R. Decem numerantur a S. Thoma 2. 2. *q.* XXXIV. et *seqq.* 1. Odium Dei, et proximi. Odium Dei est aversio a Deo, quo apprehenditur malorum vindex, et hoc peccatum est omnium gravissimum. Odium proximi est, quo malum proximo optatur; quod peccatum ex genere suo grave potest esse leve, ex levitate mali, quod optatur. 2. *Acedia*, quae est fastidium, et tristitia de rebus spiritualibus; quae si sit de rebus graviter praeceptis, vel de non praeceptis sed cum contemptu conjungatur, erit peccatum grave, alioquin leve existimatur. 3. Invidia, h. e. tristitia de bono alterius, quatenus di-

dignitatem invidentis minuit. Est peccatum ex genere suo mortale, sed evadere potest veniale, vel ratione imperfecti actus, vel ex levitate materiae. 4. Discordia, h. e. oppositio voluntatum in iis rebus, in quibus debemus proximo consentire; et hoc peccatum desumit gravitatem, aut levitatem suam a rebus circa quas oritur oppositio. 5. Contentio, quæ est pugna verborum cum immoderata acrimonia, *quae secundum quod importat impugnationem veritatis* (scilicet fidei, aut morum) *et inordinatum modum sic est peccatum mortale*, ait S. Thomas 2. 2. q. XXXVII *art* 11., alias erit veniale, remoto audientium scandalo. 6. *Schisma*, h. e. separatio ab Ecclesiae unitate cum quis non solum praecepta Ecclesiae contemnit, sed etiam fit contumax, et rebellis, nolens subesse vel Concilio Generali, vel R. Pontifici, vel proprio Episcopo, et hoc peccatum est per se grave. 5. Bellum injustum. Dico *injustum*; nam si indicitur a legitima potestate, ob caussam justam, cum recta intentione, et legitime administratur, tunc et justum et licitum dicendum est, quemadmodum plura hujusmodi bella in sacris litteris sine peccato gesta describuntur, imo Melchisedech *Gen.* XIV. benedixit Abrahain a bello revertenti, et cæde quatuor Regum adhuc cruento. 8. Rixa, h. e. bellum privatum, in quo duo, vel plures ex discordia voluntatum, vel verborum contentionibus se mutuo percutiunt; erit pro gravitate, vel le-

levitate excessus peccatum grave, vel leve. 9. Seditio, quæ est plurium civium tumultus, qui pacem societatis turbant bellum contra se mutuo gerentes; quod peccatum per se, et propter innumera mala, quæ inde oriri solent, est utique gravissimum. 10. Scandalum.

Q. Missis aliis peccatis Charitati contrariis, quorum facile fuit naturam cognoscere; quid est scandalum?

℞. Scandalum definitur: *Dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*. Dicitur 1. *Dictum* vel *factum*, non vero etiam *concupitum*, quia peccatum internum non potest esse alteri occasio ruinæ. Nomine vero *dicti*, vel *facti*, intelligitur etiam omissio dicti, vel facti, quod dici, et fieri debet; nam affirmatio, et negatio ad idem genus reducuntur, ut dictum est in definitione peccati. Dicitur 2. *Minus rectum*, h. e. vel per se malum, vel speciem habens mali. 3. *Praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*; quod satis est ad rationem scandali, licet ruina ipsa spiritualis in proximo minime sequatur.

Q. Quotuplex est scandalum?

℞. 1. Dividitur in *datum*, sive *activum*, et *acceptum*, sive *passivum*. Prius est scandalum, ut supra definitum est. Posterius est ipsa ruina spiritualis in proximo secuta. 2. Scandalum *datum*, sive *activum* dividitur in *directum*, et *indirectum*. *Directum* est quo

quis

quis data opera peccato alterius vel dictis, vel factis cooperatur. *Indirectum*, quo quis non directe vult proximi ruinam, sed ex ejus dictis, vel factis præbetur occasio ruinæ spiritualis proximi. 3. Scandalum *passivum* dividitur in *Pharisaicum*, et *pusillorum*. Prius est, quod non ex dicto, vel facto alterius, sed ex ipsius peccantis malitia oritur, quale erat scandalum, quod ex dictis, vel factis Christi accipiebant Pharisæi. Posterius vero ex infirmitate, vel ignorantia proximi ortum habet.

Q. Suntne peccata singula numerata scandala?

R. 1. Patet scandalum *activum*, et *directum* grave peccatum esse; quia proximum ad peccatum data opera impellere contra charitatem aperte pugnat. 2. Scandalum *indirectum*, quod dicitur Pharisaicum si pariet ruinam in iis, qui imitantur Pharisæos peccatum non est, cum ejusmodi ruina ex sola accipientis malitia oriatur; si vero præbeat occasionem ruinæ spiritualis in *pusillis* nonnulli affirmant peccatum non esse; sed Christus *Matth.* XVIII. 6. ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis. Necesse est ut veniant scandala. Vae autem homini illi, per quem scandalum venit* 3. Patet scandalum *passivum* sive *Pharisaicum*, sive *pusillorum* peccatum esse, cum sit ipsa ruina

ruina spiritualis in proximo secuta.

Q. Quaenam actiones aut fieri, aut praetermitti debent ad vitanda scandala?

℟. 1. Si actio sit vetita jure naturæ, non est omnino facienda etiamsi scandalum sequatur ex. gr. non est mentiendum unquam, etiamsi oriatur odium inimici. *Rom.* III. 8. *Non enim sunt facienda mala, ut veniant bona* 2. Si actio sit vetita lege humana, aliquando fieri potest, ut scandalum vitetur, ex. gr. potest famulus die festo laborare ad vitandas heri blasphemias, aliaque peccata. Debent tamen hujusmodi famuli conductitii, cum primum possunt, tales dominos deserere. 3. Si actio sit bona, vel etiam indifferens,, et non præcepta, non est omittenda ad vitandum scandalum *Pharisaicum* cum hoc oriatur ex sola accipientis, malitia. 4. Si actio sit bona, sed non præcepta, occultanda, aut differenda est ad vitandum scandalum *pusillorum*, donec illis ipsa ratio actionis innotescat; si vero sit indifferens, omnino prætermittenda, cu certum. est eos scandalum pati. I. *Cor.* VII. 1 *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Dixi: *cum certum est eos scandalum pati*; nam intolerandum esset quamcumque actionem indifferentem, vel etiam bonam prætermittere, quia fieri potest, ut adsit aliquis pusillus, et scandalum patiatur.

Actum est de virtutibus *Theologicis*; de vir-

virtutibus vero *Moralibus*, quoniam sunt proprium Theologiæ *Moralis* argumentum, nullus hic relictus est quærendi locus.

FINIS.

IN-

INDEX.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI.

CAP. I. *In quo breviter exponuntur praecipui hostes gratiae Christi, et eorum errores* . . 3
§. I. *Pelagiani* . ibid.
§. II. *Semipelagiani.* 4
§. III. *Praedestinatiani* . 5
§. IV. *Lutherani, et Calvinistae* . ibid.
§. V. *Bajus* . 6.
§. VI. *Jansenius* . 8
§. VII. *Quesnellius* . 10
CAP. II. *De gratiae generatim spectatae definitione, divisione, et gratuita largitione* . 11
§. I. *Gratiae generatim spectatae definitio* . ibid.
§. II *Multiplex gratiae divisio* . 12
§. III. *Gratuita gratiae largitio* . 14
CAP. III. *De gratiarum, quae dicuntur gratis datae, numero, et natura* . 19
§. I. *Numerus gratiarum, quae dicuntur gratis datae* .. ibid.
§. II. *Natura gratiarum, quae appellantur gratis datae* 21
CAP. IV. *In quo, tum gratiae actualis in genere, tum gratiae efficacis, et sufficientis natura explicatur* .

tur. 22
§. I. *Natura gratiae actualis in genere*. ibid.
§. II. *Definitio gratiae efficacis*. 24
§. III *Definitio gratiae sufficientis*. 26
CAP. V. *In quo excutiuntur celebratiora systemata circa efficaciam gratiae; falsa exsufflantur; et verum systema statuitur*. 27
§. I. *Exponitur systema Molinistarum*. ibid.
§. II. *Exploditur systema Molinistarum*. 28
§. III. *Explicatur systema Congruistarum*. 31
§. IV. *Refellitur systema Congruistarum*. 32
§. V. *Exponitur doctrina Augustinianorum, et Thomistarum*. 35
§. VI. *Defenditur doctrina Augustinianorum, et Thomistarum*. 36
CAP. VI. *De modo, quo gratia efficax effectum suum certissime operatur, et vincit contrariam concupiscentiam carnis*. 42
§. I. *De modo, quo gratia efficax effectum suum certissime operatur*. ibid.
§. II. *Ratio, qua gratia efficax vincit contrariam carnis concupiscentiam*. 44
CAP. VII. *De necessitate gratiae efficacis ad cognoscendum verum, et ad amandum bonum*. 47
§. I. *Utrum veritates naturales possint*

sint cognosci sine gratia Christi ibid.
§. II. *Utrum veritates supernaturales cognosci possint sine gratia Christi.* 50
§. III. *Utrum homo possit operari aliquod opus moraliter bonum sine gratia sanctificante, sive charitate habituali.* 52
§. IV. *Utrum homo possit facere opus aliquod moraliter bonum sine fide Theologica, et Christiana.* 54
§. V. *Utrum homo possit facere aliquod opus moraliter bonum sine gratia actuali.* 55
CAP. VIII. *De necessitate gratiae ad vitanda peccata venialia, et ad singulos pietatis actus etiam faciles.* 57
§. I. *Necessitas gratiae ad vitanda peccata venialia.* ibid.
§. II. *Necessitas gratiae ad singulos pietatis actus etiam faciles.* 59
CAP. IX. *De gratiae sufficientis existentia, et de iis, quibus tribuitur, vel negatur.* 61
§. I. *Existentia gratiae sufficientis.* ibid.
§. II. *Ii, quibus datur, vel negatur gratia sufficiens.* 63
CAP. X. *De gratiae habitualis, sive sanctificantis natura, et existentia.* 66
§. I. *Existentia gratiae habitualis, sive sanctificantis.* ibid.
§. II. *Natura gratiae habitualis, sive sanctificantis.* 67

CAP. XI. *De justificationis dispositionibus, natura, et proprietatibus*. 69
§. I. *Dispositiones Justificationis*. ibid.
§. II. *Natura Justificationis*. 72
§. III. *Proprietates Justificationis*. 74
CAP. XII. *De virtutibus infusis; de donis Spiritus Sancti; et de merito bonorum operum*. 77
§. I. *Virtutes infusae*. ibid.
§. II. *Dona Spiritus Sancti*. 79
§. III. *Meritum bonorum operum*. 80
CAP. XIII. *De praedestinationis acceptione, definitione, existentia, divisione, caussis, et effectibus*; 82
§. I. *Acceptio, et definitio praedestinationis*. ibid.
§. II. *Existentia, et divisio praedestinationis*. 84
§. III. *Caussae praedestinationis*. 85
§. IV. *Effectus praedestinationis*. 90
CAP. XIV. *De reprobationis divisione, et caussa*. 93
§. I. *Divisio reprobationis*. ibid.
§. II. *Caussa reprobationis positivae*.
§. III. *Caussa reprobationis negativae*. 97
TRACTATUS DE SACRAMENTIS.
PARS PRIMA.
DE SACRAMENTIS IN GENERE
CAP. I. *De Sacramenti multiplici acceptione, definitione, et proprietatibus*. 100
§. I. *Multiplex nominis Sacramenti acceptio*. ibid.
§. II. *Sacramenti apud Catholicos*

definitio . 101
§. III. Sacramenti mox definiti proprietates . 102
CAP. II. De Sacramentorum in diversis hominum statibus existentia, et numero . 103
§. I. Nulla extiterunt Sacramenta in statu innocentiae . ibid.
§. II. Extiterunt aliqua Sacramenta in statu legis naturae . 106
§. III. In statu legis Mosaicae, praeter Circumcisionem, alia fuerunt Sacramenta, imo plùra, quam in nova lege . 105
§. IV. Existunt Sacramenta in nova lege, eaque sunt septem . 107
CAP. III. De Sacramentorum veteris, et nove legis differentia, et virtute . 109
§. I. Sacramentorum veteris, et novae legis differentia . ibid.
§. II. Sacramenta veteris legis tribuebant gratiam ex opere operantis . 110
§. III. Sacramenta novae legis tribuunt gratiam ex opere operato . 112
§. IV. Exponitur natura gratiae, quam producunt Sacramenta . 115
§. V. Baptismus, Confirmatio, et Ordo producunt Characterem in anima . 115
CAP. IV. De materia, et forma Sacramentorum; quaeque in iis contingere possunt mutationes . 119
§. I. Materia, et forma Sacramen-

 to-

rumque effectus . 140

PARS ALTERA

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO

CAP. I. *De Baptismi nominibus, definitione, natura, materia, et forma.* 142
§. I. *Baptismi nomina, et definitio.* ibid.
§. II. *Natura Baptismi.* 143
§. III. *Materia Baptismi.* 144
§. IV. *Baptismi forma.* 149
CAP. II. *De tempore, quo Christus Baptismum instituit, et ejus ministro.* 153
§. I. *Tempus, quo Christus Baptismum instituit* ibid.
§. II. *Baptismi Minister.* 154
CAP. III. *De Subjecto Baptismi, et dispositionibus in eo requisitis.* 156
§. I. *Baptismi Subjectum.* ibid.
§. II. *Dispositiones in adultis ad suscipiendum baptismum necessariae.* 159
CAP. IV. *De necessitate baptismi, et ejus effectibus.* 160
§. I. *Baptismi necessitas.* ibid.
§. II. *Baptismi effectus.* 162
CAP. V. *De Baptismi ceremoniis, Sponsionibus, et Susceptoribus, sive patrinis, qui in eo locum habent.* 162
§. I. *Baptismi Ceremoniae.* ibid.
§. II. *Baptismi Sponsiones.* 154
§. III. *In Baptismo Susceptores, seu Patrini.* ibid.

DE CONFIRMATIONE.

CAP. I. *De Confirmationis nominibus, definitione, et natura.* 166
§. I. *Confirmationis nomina, et definitio.* ibid.
. II. *Confirmationis natura.* 167
CAP. II. *De materia, et forma Confirmationis.* 169
. I. *Confirmationis materia.* ibid.
. II. *Confirmationis forma.* 171
CAP. III. *De tempore, quo instituta est Confirmatio, ejus necessitate, subjecto, et ministro.* 172
. I. *Tempus, quo instituta est Confirmatio.* ibid.
. II. *Confirmationis necessitas.* 173
. III. *Confirmationis Subjectum.* ibid.
. IV. *Confirmationis Minister.* 176
CAP. IV. *De effectibus, et ceremoniis Confirmationis.* 176
. I. *Confirmationis effectus.* ibid.
§. II. *Confirmationis ceremoniae.* ibid.

DE EUCHARISTIA.

SECTIO I.

De Eucharistia, prout est Sacramentum.

CAP I. *De Eucharistiae nominibus, definitione, et essentia.* 178
§ I. *Eucharistiae nomina, et definitio.* ibid.
§. II. *Eucharistiae Essentia.* 179
CAP. II. *De Eucharistiae hostibus, vera ac reali praesentia Christi in Eucharistia, et modo, quo Christus*

stus praesens est in Eucharistia . 180
§. I. *Hostes Eucharistiae* . ibid.
§. II. *Vera*, *et realis praesentia Christi in Eucharistia* . 181
§. III *Modus*, *quo Christus praesens est in Eucharistia* . 185
CAP. III. *De materia*, *et forma Eucharistiae*; *et de Ministro Eucharistiae tum consecrandae*, *tum distribuendae* . 188
§. I. *Materia Eucharistiae* . ibid.
§. II. *Forma Eucharistiae* . 190
§. III. *Minister consecrandae Eucharistiae* . 191
§. IV. *Minister distribuendae Eucharistiae* . 192
CAP. IV. *De Eucharistiae subjecto*, *et dispositionibus in eo requisitis*; *de necessitate*, *et effectibus ejus* . 19
§. I. *Subjectum Eucharistiae* . ibid.
§. II. *Dispositiones requisitae in Subjecto Eucharistiae* . 196
§. III. *Necessitas Eucharistiae* . 197
§. IV. *Effectus Eucharistiae* . 200
SECTIO ALTERA .
De Eucharistia, prout est Sacrificium .
CAP. I. *De Sacrificii definitione*, *divisione*; *et circa Eucharistiae Sacrificium Catholicorum doctrina*, *et haereticorum errores* . 202
§. I. *Sacrificii definitio*, *et divisio* . ibid.
§. II. *Circa Sacrificium Eucharistiae Catholicorum doctrina*, *et Haereticorum error* . 202

CAP. II De Sacrificii Eucharistiae veritate, essentia, et proprietatibus . 205
§ I. Veritas Sacrificii Eucharistiae . ibid.
§ II. Essentia Sacrificii Eucharistiae. 219
§. III. Proprietates Sacrificii Eucharistiae . 221
CAP. III De Sacrificii Eucharistiae valore, effectu, subjecto; et de praecepto adstandi Sacrificio Missae . 212
§. I. Valor, et effectus Sacrificii Eucharistiae . ibid.
. II. Subjectum Sacrificii Eucharistiae . 213
. III. Praeceptum adstandi Sacrificio Missae . 215
CAP. IV. De Sacrificii Eucharistiae Ministro, de Missae stipendio, loco, tempore, vestibus, ceremoniis, quibus est celebranda . . 216
. I. Minister Sacrificii Missae . ibid.
. II. Stipendium Missae . 217
. III. Locus, tempus, vestes, et ceremoniae, quibus celebrandum est Sacrificium Eucharistiae . 219
DE POENITENTIA .
CAP. I. De Pœnitentiae notione, definitione, differentia, nominibus, et natura; et de potestate Ecclesiae omnia omnino peccata dimittendi . 221
. I. Notio, et definitio Pœnitentiae. ibid
. II. Differentia Pœnitentiae . 222
. III. Nomina, et natura Sacramenti

ti Pœnitentiae . 223
§ IV *Potestas Ecclesiae omnia omnino peccata dimittendi* . 225
CAP. II. *De materia*, *et forma Sacramenti Pœnitentiae* . 227
§. I. *Materia Sacramenti Pœnitentiae*. ibi
§. II. *Forma Sacramentis Pœnitentiae*. 229
CAP. III. *De Contritione definitione*, *divisione*, *necessitate*, *virtute*, *et conditionibus*, *ut sit pars Sacramenti Pœnitentiae*. 230
§. I. *Definitio*, *et divisio Contritionis* . ibid.
§. II. *Necessitas*, *et virtus Contritionis* . 232
§. III. *Conditiones Contritionis*, *ut sit pars Sacramenti Pœnitentiae* 236
CAP IV. *De Confessionis Sacramentalis definitione*, *necessitate*, *integritate*, *secreto*, *et modo ejus peragendae*. 3ς6
§ I. *Definitio*, *et necessitas Confessionis Sacramentalis*. ibid.
§. II. *Integritas*, *et secretum Confessionis Sacramentalis* . 239
§. III. *Modus peragendae Confessionis Sacramentalis*. 242
CAP. V. *De Satisfactionis Sacramentalis definitione*, *necessitate*; *de operibus satisfactoriis*, *et modis et adimplendi*; *necnon de Indulgentiis* . 243
§. I. *Definitio*, *et necessitas Satisfactionis Sacramentalis* . ibid.
§. II. *Opera satisfactoria*, *et modi* ea

ea adimplendi 335
§. III. *Natura, existentia, et effectus Indulgentiarum* 347
CAP. VI. *De Ministro Sacramenti Poenitentiae, Casuum reservatione, a Censuris absolutione, et effectibus ipsius Sacramenti* . 350
§. I. *Minister Sacramenti Poenitentiae* ibid
§. II. *Casuum reservatio* . 252
§. III. *Absolutio a Censuris* . 253
§. IV. *Effectus Sacramenti Poenitentiae*, 251

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAP. I. *De Extremae Unctionis nominibus, definitione, et natura* . 255
§. I. *Nomina, et definitio Extremae Unctionis* . ibid.
§. II. *Natura Extremae Unctionis* . 256
CAP. II. *De materia, et forma Extremae Unctionis* . 258
§. I. *Materia Extremae Unctionis* . ibid
§. II. *Forma Extremae Unctionis* . 260
CAP. III. *De Ministro, subjecto, et effectibus Extremae Unctionis* . 261
§. I. *Minister Extremae Unctionis* . ibid.
§. II. *Subjectum Extremae Unctionis*. 262
§. III. *Effectus Extremae Unctionis*. 263

DE ORDINE.

CAP. I. *De Ordinis acceptione, definitione, et natura* . 265
§. I. *Ordinis acceptio, et definitio*. ibid.
§. II. *Ordinis natura* . 256
CAP. II. *De variorum ordinum existentia*,

tia, et ipsorum materia, forma, et muneribus . 268
§. I. Existentia variorum Ordinum . ibid.
§. II. Differentia Ordinum . 269
§. III. Natura recensitorum ordinum. 270
§. IV. Materia, forma, et munera singulorum Ordinum . 271
CAP. III. De Ordinis Ministro, et subjecto . 275
§. I. Minister Ordinis . ibid.
§. II. Subjectum Ordinum . 277
CAP. IV. De impedimentis ad Ordines, sive Irregularitatibus; de dispositionibus in non impeditis; et de effectibus Ordinis . 278
§. I. Impedimenta ad Ordines, seu Irregularitates . ibid.
§. II. Dispositiones ad Ordines recipiendos requisitae . 282
§. III. Effectus Ordinis . 283
DE MATRIMONIO.
CAP. I. De Matrimonii, prout est contractus, essentia, et proprietatibus, 283
§. I. Matrimonii, prout est contractus, essentia . ibid.
§. II. Matrimonii, prout est contractus, proprietates . 285
CAP. II. De Matrimonii, prout est Sacramentum, natura, materia, forma, et Ministro . 287
§. I. Natura Matrimonii, prout est Sacramentum . ibid.
§. II. Materia, forma, et minister Sacramenti Matrimonii . 29?

TRA-

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

CAP. I. *De Actus humani, voluntarii, et liberi natura, ac divisione; et de iis, quae cum voluntario pugnant..* 190

§ I. *Actus humani, voluntarii, et liberi natura, ac divisio.* ibid.

§ II. *Ea, quae pugnant cum voluntario.* 292

CAP. II. *Utrum detur ignorantia juris naturalis, et quaenam indifferentia requiritur ad naturam liberi arbitrii.* 296

§. I. *Utrum detur ignorantia juris naturalis.* ibid.

§ II. *Indifferentia, quae requiritur ad naturam liberi arbitrii.* 298

CAP. III. *De finis actuum humanorum natura, divisione, causalitate, et eo, qui hominis felicitatem constituit.* 299

§ I. *Natura, et divisio finis..* ibid.

§. II *Caussalitas finis.* 390

§ III. *Finis ultimus, sive vera beatitudo objectiva creaturae rationalis.* 501

CAP. IV. *De bonitatis, et malitiae moralis actuum humanorum natura, et caussa; et utrum dentur actus indifferentes in individuo.* 303

§ I. *Natura bonitatis, et malitiae moralis actuum humanorum.* ibid.

§ II. *Caussa bonitatis, et malitiae moralis actuum humanorum..* 304

§. III. *Utrum dentur actus humani in-*

indifferentes in individuo. 305
CAP. V. *De circumstantiarum natura, et utrum, et quomodo eae influunt in actus humanos.* 306
§. I. *Natura, et numerus circumstantiarum actuum humanorum.* ibid.
§. II. *Utrum, et quomodo circumstantiae influunt in actus humanos.* 308
CAP. VI. *De humanorum actuum varia specie, et distinctione morali quoad numerum.* 309
§. I. *Varia species humanorum actuum.* ibid.
§. II. *Distinctio moralis actuum humanorum quoad numerum.* 311
CAP. VII. *De legis, quae est remota regula actuum humanorum definitione, divisione, et de singularum legum natura, et earum cessatione.* 313
§. I. *Definitio, et divisio legis.* ibid.
§. II. *Lex Dei aeterna, et naturalis.* 314
§. III. *Lex Dei positiva Mosaica.* 316
§. IV. *Lex Dei positiva Evangelica.* 318
§. V. *Lex humana Ecclesiastica.* 220
§. VI. *Lex humana Civilis.* 321
§. VII. *Lex non scripta, sive consuetudo.* 322
§. VIII. *Privilegia.* 323
§. IX. *Legis cessatio.* 324
CAP. VIII. *De Conscientiae, quae est proxima regula actuum humanorum, definitione, divisione, ejusque applicatione.* 326
§. I. *Definitio, et divisio Conscientiae.*

tiae . ibid.
§. II. *Conscientia recta, et erronea.* 328
§. III. *Conscientia certa, et dubia.* . 329
§. IV. *Conscientia, sive opinio probabilis.* 330
CAP. IX. *De peccati definitione, divisione mortalis, et venialis, distinctione, natura, et conditionibus; nec non de peccato habituali.* 334
§ I *Peccati definitio.* ibid.
. II. *Peccati divisio.* 333
§. III. *Peccati mortalis, et venialis distinctio.* 337
§. IV. *Peccati mortalis, et venialis natura.* 339
. V. *Peccati mortalis conditiones.* 340
. VI. *Peccatum habituale.* 344
TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.
CAP. I. *De fidei natura, subjecto, divisione, necessitate; et de peccatis fidei contrariis.* 345
. I. *Fidei natura, et subjectum.* ibid.
. II. *Fidei divisio: et necessitas.* 349
. III. *Peccata contraria fidei.* 353
CAP. II. *De spei natura, subjecto, necessitate; et de peccatis spei contrariis.* 355
. I. *Spei natura, et subjectum.* ibid.
. II. *Spei necessitas.* 258
. III. *Peccata spei contraria.* 361
CAP. III. *De Charitatis natura, objecto, necessitate; de praeceptis charitatis erga proximum; de pecca-*

catis charitati contrariis . 397 362
§. I. Natura e et objectum charitatis , ibid
II Necessitas charitatis erga Deum . 36.
III. Necessitas charitatis erga Proximum . 367
IV. Praeceptum eleemosynae faciendae . 370
V. Praeceptum correctionis fraternae . 373
VI. Peccata charitati contraria . 375

F I N I S.

264 *iuvari*	*juvari*
268 Acolythatum	Acolythatum

270 v. 23 *vox* : alii , *transferenda ad initium* v. 24 , *et particula* nes v. 24 *attollenda ad initium versus* 23.

278 secundum	secundam
294 v. 13. quid	quia
ibid. v. 17 quia	quid
298 *sit agere*	*sit agere* , *et non agere*
316 ex	lex
322 re.	rel.
ibid. *D. de Legibus*	§. *de Legibus*
324 v. 3. communitatem .	communitatem ,
ibid. *praeraricatores*	*praevaricatores*
231 *topation*	*topazion*
338 qnudlibet	quodlibet
351 *eoram*	*coram*
356 quoam	quam
339 *vers.* 20. necessarium	necessariam
363 *vers.* 18 et	est
395 *Mystio*	*Mystici*
574 *vers.* 28. *e.*	*et*
ibid. *vers.* 29. *oo*	*eo*
379 cu	cum
334 *tom.* I. quæ	quam

Graviora errata , quæ vel multum negotium facesserent legentibus , vel scribentis nimiam proderent inscitiam , hic, ut et in priori volumine , corrigenda suscepta sunt . Leviora , præsertim litteræ ob formas affines in se invicem frequenter commutatæ , quia facile animadverti possunt , omissa sunt emendari .